AMŒNITATES LITERARIÆ,

Quibus

VARIÆ OBSERVATIONES,

Scripta item quædam anecdota & rariora Opuſcula exhibentur.

Tomus Decimus Tertius.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Apud DANIEL. BARTHOLOMÆI & FILIUM.
M DCC XXX.

R.B.B.S. NAPOLI
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

APULEJUS.

Omnibus bonis in rebus conatus in laude, effectus in casu est.

VIRO

MAGNIFICO

ATQUE

REVERENDISSIMO

DOMINO

DOMINO

PHILIPPO HENRICO WEISSENSEE,

PERINCLUTI

MONASTERII HIRSAUGIENSIS

ABBATI,

NEC NON SERENISSIMI CELSISSIMIQUE DUCIS WIRTEMBERGIÆ &c.

CONSILIARIO CONSISTORIALI

EXIMIA

EXIMIA IN DEUM PIETATE, INSIGNI ERUDITIONE, ET INNUMERIS IN ECCLESIAM WIRTEMBERGICAM MERITIS MAXIME SPECTABILI,

DOMINO ATQUE MÆCENATI SUO

SUMMOPERE VENERANDO,

HOC, QUICQUID EST OPUSCULI,

PUBLICE IPSI SUAM TESTIFICATURUS REVERENTIAM AC BENEVOLENTIÆ EJUS PERPETUITATEM SIBI DECENTER EXORNATURUS

INSCRIBIT,

PIAQUE PRO ILLIUS INCOLUMITATE ET SECUNDISSIMIS OMNIUM CONSILIORUM NEGOTIORUMQUE SUCCESSIBUS DIVINO NUMINI

NUNCUPAT

TANTI NOMINIS

Cultor devinctissimus

Jo. Georgius Schelhornius.

SERIES
Articulorum
Hujus Tomi.

I. *Jacobi Bruckeri Elogium Illuſtris Viri Lucæ Schrœckii, Med. Doct. &c.* *pag. 1*

II. *Jacobi Zimmermanni Vindiciarum Exercitationis ſuæ de Atheiſmo Platonis Pars altera.* 48

III. *De Eximiis Suevorum in Literaturam Orientalem Meritis Schediaſma Hiſtorico-Literarium.* 197

IV.

IV. *Thomæ Mezleri, Benedictini olim Zwifaltenſis, Epiſtola Dedicatoria, præmiſſa Libris de Imitatione Chriſti, ab ipſo elegiace 1645. verſis, cum Viri cujusdam eruditi in eam animadverſionibus.* 265

V. *Pentas Epiſtolarum Renati Maſſueti ad P. Bernardum Pez.* 278

VI. *Jacobi Bruckeri Diſſert. Epiſt. de Stratonis Lampſaceni Atheiſmo ad Jacobum Zimmermannum.* 311

Q. D. B. V.

Q. D. B. V.

I.

ELOGIVM

Illuſtris Viri

LVCAE SCHROECKII,

Medicinæ Doctoris,

S. R. I. Nobilis, Medici Cæſarei,
Comit. Pal. Lateran. Cæſar.
Academiæ Imper. Naturæ Curioſorum
Præſidis,
Academiæ Recuperatorũ, Phyſicocriticæ,
& Coloniæ Phyſicocriticorum Socii,
Reipublicæ Auguſtanæ Phyſici primarii,
Collegii Medici Senioris Vicarii,
Officinarum Pharmaceuticarum Viſitatoris perpetui,

Auctore

JACOBO BRVCKERO.

Magnam me rem poſcis, Optime SCHELHORNI, & quam facilius ſummis Viris relinquam, quam infelicibus parumque profuturis conatibus aggrediar: laudes ſcilicet Viri ſumi & ſupra invidiam omnesque laudes poſiti, LVCAE SCHROECKII, quo nec ætas ulla inter Auguſtanos vidit doctiorem, nec civitas in reſtituenda & tuenda ſanitate experta eſt feliciorem, nec Pieridum Chorus obſtupuit majorem: quem educavit ornamento ſibi futurum patria, admirabilem fecere bonæ literæ, venerati ſunt exteri, coluit Germania, ad illuſtria honorum culmina evexit ſacratiſſima Auguſtiſſimorum Imperatorum majeſtas, ſingulari mortalium generi ſolatio ægrorumque levamini dedit divina providentia. Quem cum anni hujus auſpicia ſero quidem, nimis tamen maturo Orbi erudito fato abſtulerint, dubium eſt, orbisne literarius & elegantiores literæ, an ars ſalutaris, vel ipſa quoque celeberrima Auguſta jacturam paſſa fuerint majorem: & annon atro lapillo dies ille faſtis inſerendus, & res malo omini ſimilis videatur, quod inter votivas gratulantium preces & fauſtas civium acclamationes Auguſtæ ereptum fuerit tam inæſtimabile Palladium.

dium. Cujus laudes ut digno quis aſſequatur ſcriptionis genere, næ vel Schrœckiana eruditione opus eſt, vel ipſis Muſarum artibus, ne inſubida commentandi ratione plus detraxiſſe videatur tanti viri laudibus, quam eas evexiſſe. Vide itaque quam impoſſibilia me poſcas, & quam inique à me poſtules, quæ non niſi eruditionis & literarum elegantia maxime conſpicui Viri exequantur. Cum tamen nihil mihi Tua amicitia unquam fuerit jucundius, nihil Tua voluntate acceptius; &, quod privata pietate addo, nihil beatis SCHROECKII manibus venerabilibus, à quo ſcilicet toties mea meorumque ſanitas & defenſa & reſtituta eſt: dabis veniam ſterili calamo, & de vita & meritis illuſtris Viri pauca differentem Tu pariter atque literatus orbis patienti audietis animo, mentis veneratione ſupplentes, quod pennæ exilitas aſſequi auſa non eſt.

Dedit itaque tantum Orbi literato Virum *Auguſta Vindelicorum*, fœcunda illa tot virorum eruditione & meritis clarorum mater; in cujus ſinu natum eſſe illuſtrem SCHROECKIVM, multum certe ejus laudibus & felicitati addit. Cum enim multum interſit, *Patria.*

quo quis loco in lucem edatur, an is rei literariæ augendæ aptus, & ad promovenda eruditionis ſtudia idoneus, ejusmodi ſubſidia ſubminiſtret, quibus ad ſummos eruditionis gradus pertingere liceat: an nec loci anguſtia animi impetum ſufflaminet, nec eruditorum virorum inopia inſtitutionem impediat, nec majorum præjudicia bonis artibus obſint, nec ad incitandum ad honeſta quævis audenda animum exempla deficiant; in his omnibus felix cenſendus eſt SCHROECKIVS. Nam & Auguſtum urbis antiquiſſimæ decus Noſtri ingenium excitaviſſe, & virorum eruditiſſimorum abundantiam illud ad excellentiſſimam perfectionem formaſſe, & parentum atque Majorum inſtituta ejus ardorem aluiſſe, & omnem laudem exſuperantia exempla calcar currenti addidiſſe, nemo negaverit, qui Auguſtanam literariam hiſtoriam non ignorat cum ignariſſimis. Scilicet pulchrum & decorum putabat ipſe Vir Summus, in eadem urbe eruditionis ſtadium decurrendum ſuſcepiſſe, in eo theatro medici perſonam induiſſe, in quo tot celeberrimi nominis medici tantam ſibi honoris nominisque famam pepererunt, & immortalitatis ſimul cedro inſcripſerunt

Augu-

Auguſtæ patriæ memoriam. Habuit ſcilicet anteceſſores & tantæ, quam conſecutus Noſter, famæ auctores & exempla, veneranda nomina, *Joannem Cubam, Adolphos Occones, Marquardum Freherum, Joannem Ambroſium & Udalricum Jungios, Achillem Pyrminium Gaſſerum, Lucam Stenglinum, Leonhardum Rauwolfium, Caſparum Gutmannum, Tobiam Kneulinum, Georgium Heniſchium, Joannem Vdalricum Rumlerum, Raymundum Mindererum, Philippum Hochſtetterum, Jeremiam Erhardum Marcum Banzerum, Davidem Verbezium, Georgium Hieronymum Welſchium, Joannem Heniſium*, aliosque non Auguſtæ tantum, ſed & apud exteros præclaræ famæ viros, quos cum & Ipſe laudatiſſimus SCHROECKIVS noſter in *Hygea Auguſtana* dignis extulerit encomiis, & me quoque in *ſpecimine Hiſtoriæ literariæ Medicorum Auguſtanorum*, quod ad prelum paratum noſti, de iis pluſcula dixiſſe recorder, plura addere è re præſenti non eſt.

Parentes.

Quod verum præcipuo felicitatis exemplo Natura Machaoni Noſtro dedit, eſt, quod eo præcipue parente genitus & educatus ſit, a quo non potuit non cum dextera & pia inſtitutio-

ne abundantiſſima in filium haud degenerem derivari eruditio. Patre enim uſus eſt Noſter LVCA SCHROECKIO, Philoſophiæ & Medicinæ Doctore, & Reip. Auguſtanæ per multos annos Phyſico ordinario, de cujus medendi dexteritate & peritia, eruditionis præſtantia, judicii rectitudine, ingenii acumine, & quæ reliquæ boni medici virtutes ſunt, nunquam ſilebit Auguſta, quamdiu bonarum literarum & meritorum egregiis artibus partorum memoriam pia non obliterabit patria, quamdiu egregiæ & limatæ obſervationes, quas præſtantiſſimis Academiæ Naturæ curioſorum ephemeridibus paſſim inſeruit, legentur & habebuntur à doctis in pretio. Hoc parente genitus ex Nobiliſſima omnique virtutum genere ornatiſſima Matrona, *Anna Maria* ex *Welſchiorum* genere, die 24. Septembris, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum, quadrageſimo ſexto; turbulentis ſane Auguſtæ civitatis temporibus, & ad triſtia fata inclinantibus circumſtantiis cunctis; non malo tamen omine, ut parentis Noſtri familiæ nato filio hilaritas & gaudia exorta ſunt, ita patriæ brevi exoptatiſſima reditura eſſe Halcyonia, quæ quoque vix biennio elapſo non ſine exultatione ſenſit.

ſit. Verum nec maternum genus hic negligendum ſiccoque prætereundum eſt pede. Ex Matris enim gente nobile illud Auguſtanorum Medicorum & Orientalis quoque eruditionis ſidus *Georgius Hieronymus Welſchius* ortus eſt, qui, quod Noſtro ſanguine erat conjunctiſſimus, eumque ex Sorore Nepotem, quem dicunt, dilexerat, multum quoque ad conſummatam SCHROECKII eruditionem contulit, non ingrato Noſtro, qui Compatriotæ, Avunculo, Medico & Collegæ poſtea ſuo egregium grati animi monumentum, edita vitæ ejus memoriæ, erexit, de qua poſtea dicemus.

Dotes animi.

Tantis naturæ & providentiæ divinæ, uti recte fortunam vocamus, ſubſidiis accedebat mira ingenii felicitas, judicii præmatura firmitas & accuratio, memoriæ excellens quædam fidelitas, quibus parenti & neceſſariis maxima eaque lætiſſima ſpes enata eſt, fore, ut & patri & patriæ ſingulari ornamento & ſolatio futurus eſſet; nec præſagium fefellit eventus: tanta enim maturitate ſe oſtendebat ingenii Schrœckiani præſtantia, ut non ſolum inſolita fertilitate tradita bonarum artium ſemina redderet, ſed & omni expectatione

major in puero adhuc meſſis exurgeret.

Educatio literaria. Aperiebantur tum, reducta in Germaniam pace religioſa, Muſarum januæ, & Auguſtanum quoque Gymnaſium, quod per decem & quatuor annos ſiluerat, docentium & diſcentium voce reſonabat, docentibus viris egregiis, moderante Viro Clariſſimo *Matthia Wilhelmi.* Huic bonarum literarum palæſtræ dum concredebatur SCHROECKIVS, mature bene de eo ſperantium vota ſuperabat, & quis olim Vir futurus eſſet, ſingulari creſcentis eruditionis ſpecimine comprobabat. Cum vero piæ & accuratæ Doctorum publicorum inſtitutioni ſocias quoque manus jungerent pater & avunculus, dici non poteſt, quantas dotes congeſſerit, quantas eruditionis divitias ſibi cumulaverit Schrœckianum ingenium. Quas ut publice quoque oſtenderet, tribus vicibus vires periclitatus egregie ſe omnibus probavit, publice habitis Orationibus, quæ & optime tempus eum hactenus collocaſſe innuebant, & de eo præſtantiſſima quæque patriæ, patronis, parentibus, amicis pollicebantur. Ut itaque ad juſtam perfectionem ejus perduceretur eruditio, pater optimus filium

lium tandem Academicæ quoque inſtitutioni credendum ratus eſt. Nondum vero tum temporis peſtilens & ad evertendam ſolidam eruditionem enatus hodie mos invaluerat, quo pueri antequam ingenium adoleſcit, viresque capit judicium, antequam ſolidioris doctrinæ fundamenta a fidis præceptoribus jacta & percepta ſunt, præpoſtera feſtinatione in Academias mittuntur pleno quidem plerumque marſupio, ſed inani cerebro, ut per aliquot annos neſcio quam ſuperficiariam doctrinæ ſpeciem corradentes, & licentia Academica audaciores facti pulchre quidem ornati & comti; pueri tamen haud raro, quod ad ingenii vires attinet, redeant; quæ res quantum eruditionis incrementis impedimentum afferat, dici vix poteſt: Noſter itaque ad viceſimum uſque ætatis annum in Gymnaſii exercitatione detentus, tum eo ſtudiorum genere, quod ab humanitate nomen accepit, tum Philoſophiæ quoque elementis feliciter ſolideque imbutus non potuit non ad Academiam & majora ſtudia accedere inſtructiſſimus.

Vita Academica.

Elegit vero parentis & amicorum conſilio *Jenenſem* Academiam, in qua eruditionem aleret,

ret, ingenium acueret, optimisque disciplinis imprimis arti salutari totum se traderet, quod & viris eruditissimis summaque eruditionis laude famigeratissimis istud Athenæum esset refertum, & tot jam Viri multa doctrinæ præstantia inclyti ex ea, tanquam ex Trojano equo, prodiissent. Nec fefellit Nostrum spes & opinio; in ædes enim celeberrimi Medici *Joannis Theodori Schenckii*, Medicinæ Doctoris & Professoris, delatus, non tantum quæ ad vitæ commoditates & recte vivendi rationem pertinent, apud fidum hunc Hospitem invenit, sed & dextera & solidissima ejus institutione usus, artis medicæ fundamenta, quæ cum sobria Philosophiæ cognitione imprimis accurato naturalis scientiæ studio junxerat, tradentem non sine emolumento audivit. Ubi prætereundum haud est, Illustrem SCHROECKIVM nostrum non commilitio tantum, sed contubernio quoque & intima amicitia junctum tunc sibi habuisse æternum Salani Heliconis decus, magnum illum nostrorum temporum Aesculapium *Georgium Wolfgangum Wedelium*, quocum Nostro ex eo tempore usque ad beatam Viri Summi

Præceptores Academici.

Ana-

Analyſin non ſine maximo rei literariæ, præſertim medicæ, emolumento, interceſſit amicitia. Sed & experientiæ & doctrinæ celebratiſſimæ Viro *Guernero Rollfinckio* Præceptore uſus, & *Joannis Arnoldi Friderici* quoque lectionibus eruditus ita in artis præcipue ſalutaris cognitione profecit, ut nec naturæ tum humanæ tum univerſi conſtitutionem viresque ignoraret, nec artis chymicæ artificia negligeret, nec herbarum genera, ſpecies & vires ignotas haberet, nec corporis humani fabricam curioſo oculo, immo cultro quoque non exquireret, nec Morbonæ ſtragem cum cauſis ſuis non inſpiceret, nec medendi denique rationem eamque tutam certam & jucundam non teneret. Quem in finem non modo attentam doctoribus aurem largitus eſt diligentiſſimus SCHROECKIVS, ſed & diurnæ nocturnæque lectioni optimorum Auctorum, non recentium tantum, ſed & veterum invigilavit, & ubi alii perpotabant, & egregie debacchabantur, ipſe doctis impalleſcere chartis, & ad multam uſque noctem cum mortuis colloqui, vel ingenii vires ad lucernam quoque acuere pulchrum & decorum putabat. Jungebat enim primario

doctri-

doctrinæ generi, cui ſe devoverat, elegantiorem eruditionem, nec noſtræ ætatis hominibus quibusdam ſimilis, de ea tantum ſcientia erat ſollicitus, quæ de pane lucrando, quod ajunt, eum certum faceret: quæ cauſa eſt, cur ſcripta ejus, de quibus poſtea nobis ſermo erit, tam variam eruditionem ſpirent raro eorum temporum exemplo, quibus adhuc Muſæ elegantiores plerumque Germania noſtra exulabant. Verum tempus jam erat, ut compareret publice elegantiſſimum SCHROECKII ingenium, manifeſtaretur eruditio, augeretur hominis fama, per cunctos honoris gradus ſtrenue graſſatura magnisque paſſibus ad excelſum gloriæ culmen, in quo eum collocavit divina providentia, tuita eſt ſumma eruditio, confirmavit Auguſtiſſimorum Imperatorum gratia, enixa. Hinc ſtudiorum Academicorum rationem redditurus, elegantem *de Moſcho* diſſertationem conſcripſit, & eruditorum ſubjecit examini. Quo in conflictu, dubium non eſt, quin talem ſe præſtiterit, qualem poſtea controverſiis Medicis implicitum novimus, cujus ſcilicet neque calamum neque os amarulentia tingebat, neque in morum huma-

Diſputationes editæ.

humanitate & comitate quicquam mutabat adverſariorum pertinacia. Hunc laborem cum feliciter ceſſiſſe animadverteret, *Theſes* quoque *Chymicas*, plaudentibus Præſide, opponentibus & auditorio, in publica cathedra defendit, eoque ſpecimine mature oſtendit, quid in hac quoque arte, cui ſe præcipue devoverat, ab ipſo eſſet expectandum. Sentiebant id non ſolum parentes & amici, ſed & ipſi Præceptores, qui tam egregio diſcipulo delectati, & eruditionis Schrœckianæ elegantia capti, dignum eum judicabant, qui ſummis Medicinæ honoribus augeretur, ut cunctis conſtaret, quibus præmiis afficienda ſit eruditio, quidque expectandum iis, qui ad ſolidæ doctrinæ elegantiam penetrare laborant: Qui honor uti Noſtri diligentiæ & eruditioni diu jam debebatur, ita ab eo, qui omnem honoris ambitionem auræque popularis captandæ ſtudium cane pejus & angue oderat, non quæſitus quidem, verum nec rejectus eſt, unde poſt exantlata ſumma cum laude examina ſolennem *de Bulimo* diſputationem anno 1669. defendit, & ita ſtetit, ut cunctis innoteſceret, non minus honoris ab ipſius eruditione ad artem medi-

Honores Academici.

medicam, quam ab arte medica ad ipſius famam acceſſiſſe.

Itinera. Sed ne hisce quidem cancellis ſe continuit ad ſumma contendens præſtantiſſimi Juvenis eruditio, ſed ut ad magna quævis ille natus erat, ita fovendo, quo fervebat, plura diſcendi augendique theſauros, quos collegerat literarios, igni apta quærebat alimenta. Quem in finem, parente optimo annuente, iter quoque literarium inſtituere cœpit, probe gnarus, quantum ejusmodi itinera emolumentum afferant, ſi recte ſuſcipiantur, nec curioſitatis cauſa, & ad mutandum cœlum quidem, non autem animum, & dilapidandos matris numos fiant. Qualia à multis hodie fieri, qui præter linguam patriam vocabulis alienis corruptam, veſtemque novam, & aularum exterarum morem referentem, nihil domi referunt, neſcio utrum ridendum potius an deplorandum rectius quis exiſtimet. Non is SCHROECKIO elegantiſſimo erat animus, qui non niſi ad ſolida & magna contendens, nihil parabat oſtentationi, ſed utilitati, non iter ſuſcipiebat tempori perdendo, ſed ingenio exornando, nihil ad pompam & inanem jactantiam referebat, ſed ad ſoliditatem.

tatem. Imitaturus itaque formicarum morem, quæ multo labore ex variis locis alimenta ſibi conquirunt, & ſollicita opera ingenioſe comportant, ad iter ſe accingit, regionum climata, victus & potus rationes, naturæ operum admiranda ſpecimina, medicatorum fontium proprietates, morborum epidemicorum & certis regionibus propriorum mirabiles haud raro circumſtantias, herbas rariores, metallifodinas celebriores, & quæ alia ſunt, de quibus Medicorum filii ſolliciti eſſe ſolent, perſcrutaturus, celebriorum Bibliothecarum forulos excuſſurus, virorum doctiſſimorum & in arte potiſſimum medica celebrium colloquio notitiam medicam & literariam adauĉturus, & quæ ipſe in Academia didicerat, ad concinnam & juſtam maturitatem & maſculum vigorem perduĉturus. Quo animo varias Germaniæ provincias peragravit, eo fruĉtu, ut non eruditione tantum rediret locupletiſſimus, ſed & magnæ famæ Viris, ſummisque Medicis innoteſceret, quod certe fundamentum fuit, quo poſtea gloriæ meritis & fama partæ inædificavit ædificium, cum ex eo tempore cum præſtantiſſimis Viris literarium aleret commercium, iisque

que tanta felicitate ſe commendaret, ut via inde aperta ſit, qua poſtea ad excelſa honorum culmina graſſatus eſt. Redux autumno hujus anni ſalutatisque parente & patria terras quoque alia ſub ſole calentes adire paratus, DEO duce, eruditione & pietate comitibus, ad iter Italicum ſe accinxit, Auſonias quoque divitias, non arcæ, ſed ingenio replendo aptas corraſurus: Locum vero ſibi elegit antiquiſſimam Muſarum ſedem & celebratiſſimum optimarum artium emporium Patavium, ubi artis imprimis ſalutaris præcepta à ſummis Viris tradebantur, & crebriori quoque artificioſæ ſectionis corporis humani exercitio multum ad cognitionem accuratiorem machinæ humanæ afferebatur ſubſidii. Perſonabat vero tum quoque Patavii admiranda *Octavii Ferrarii* eloquentia, quem cum audiret impenſius Noſter mirum in modum ejus ſibi devinxit animum, ut ei frequentiorem lubentiſſime concederet aditum. Seſquiannum vero ibi commoratus eſt, ſolita eruditionis accuratione in exiguo temporis ſpatio plura in uſus ſuos vertens, quam alii ſolebant, qui per quinquennium iſti Muſarum ſedi adhærebant. Tum ad perluſtrandam Italiam ejusque

ejusque celebriores urbes, viſenda naturæ & artis miracula, perluſtranda Gazophylacia & rerum naturalium apothecas, adeundos viros celeberrimos animum adjiciens, Patavio ſolvit, Ferraraque Ancona & Laureto urbibus viſis, caput Italiæ Urbem ipſam accedit. Detinebant virum eruditiſſimum & curioſiſſimum non palatiorum ſplendor, non Pontificiæ aulæ ſtrepitus, non templorum magnificentia, ſed antiquitatis canæ marmora, & rudera veñerandam vetuſtatem præ ſe ferentia, cimeliarchia, imprimis rerum naturalium raritate & varietate commendatiſſima, Bibliothecæ optimis libris refertiſſimæ, virorum doctiſſimorum converſatio: quo fine etiam in amœniſſimam Campaniam exſpatiatus, immo ipſam Calabriæ metropolin Neapolin pari modo inviſit. Redux vero Florentiæ, Bononiæ Milanique celeberrimas inviſens urbes, non tam ædificiorum elegantia & magnificentia, quam eruditiſſimorum & clariſſimorum Virorum humanitate & colloquio eſt captus. Inter quos præcipue magni Hetruriæ Ducis Bibliothecarii *Antonii Magliabechii* inuſitatam comitatem & facilitatem, Illuſtrem Virum haud ſemel grata memorique narratione mihi celebraſſe

memini. Et cum eruditionis ſuæ ſoliditate & præſtantia magnam ſibi apud eos peperiſſet famam, mirarenturque haud raro, inter Septentrionales, quod harum gentium præjudicium eſt, tales inveniri viros, facile inter illos atque Noſtrum amicitia coaluit jucundiſſima, quam literarum poſtea commercio ſancte conſervavit.

Munus in patria.

Redux exacto biennio in patriam, anno 1671. cumulata brevi meritorum præmia vidit & expertus eſt, eamque carpſit plena ſaturaque lance fructuum meſſem, quam pietas, diligentia, accuratio, eruditio hactenus ſeminaverant. Doctoris enim titulum atque jura, quorum percipiendorum hactenus licentiam habuerit, abſens à Medicorum Salanorum Collegio, Auguſtiſſimis & Sereniſſimis auſpiciis accepit: quo honore initiatus Patribus patriæ officia & devotionem, civibus curam in tuenda eorum ſanitate ſuam, qua par eſt, obſervantia obtulit. Non potuerunt non lætari Patres conſcripti, ſibi gratulari Collegium Medicum, exultare cives, cum tam dignus Vir albo Medico nomen daret, & artis ſalutaris exercitium atque praxin more majorum rite capeſſeret: revireſcebat enim Schroe-

Schrœckianum nomen, artis felicitas, eruditionis elegantia, quam in patre mirabantur & amabant, in filio; nec falso augurio sibi persuadebant, fore, ut non patris modo excellentiam assequeretur, sed & multis parasangis anteiret. Et profecto falsos eos non fuisse, χαλκέντερος SCHROECKIUS Noster, nullis vigiliis expugnabilis, omnique labori invictus, multis rationibus demonstravit. Tanta enim accuratione, tanto studio, tanta experientia ægrotorum curæ se tradidit, ut nec diligentiam doctrinamque ejus destitueret exoptati effectus felicitas, nec eorum, qui ejus ope, consilio & auxilio convaluerant, deesset gratus animus. Quibus artibus cum profectu temporis accederet longissima & rarissima experientia, quæ insolita prorsus sexaginta fere annorum praxi non poterat non evadere longe excellentissima, dici non potest, quanta celebritate effloruerit Schrœckiani nominis & eruditionis honor atque fama. Quam non quærebat quidem Vir, uti modestissimus, ita vere pius, consequebatur tamen sponte, & ultro in amplexus ruentem videbat gloriam, cum illis artibus instructus esset, quibus æternitati inscripserunt

Praxis Clinicæ felicitatis.

nomina Medici famigeratiſſimi. Ut enim, de qua toties, nunquam tamen ſatis mentionem fecimus, eruditionis præſtantiam taceam, erat in eo mira comitas & facilitas cum ſumma humanitate conjuncta, quæ non pauperes modo & tenuioris conditionis homines à foribus ejus & muſeo non arcebat, immo ædibus potius ipſorum eum introducebat, ſed quæ ægrotantium quoque mentes mire refocillabat, animum & fiduciam ſane ingentem eis excitabat, & tantum ei amorem conciliabat, ut qui ſemel Virum incomparabilem adiiſſent, vel conſilio ejus fuiſſent uſi, nec meliorem, nec humaniorem, nec jucundiorem exoptarent unquam Medicum. Ad hæc accedebant alia etiam: in ſanandis morbis etiam deſperatiſſimis providentia ſumma, certitudinis & ſecuritatis, quas ejus medendi ratio promittebat, fœcunda mater, methodus plana & facilis, & ad minuendos quantumpote ſumtus, qui haud raro inſanum quanti faciendi ſunt in valetudinem reſtituendam, apprime apta & compoſita, indefeſſa in viſitandis ægris diligentia, quam nec ſenex admodum, nec ſummis honoribus auctus unquam depoſuit, & quod in Medico inter primas virtutes reponendum

primo

primo loco puto, ſancta & vera pietas, quæ ab omni oſtentationis & hypocriſeos ſpecie longiſſime remota ita ſalutis & ſanitatis, immo Medici quoque, Auctori ſerviebat ex animo, ut non poſſet non ille conſiliis ejus adeſſe, & laborem ejus lætiſſimis beare ſucceſſibus. Nihil hic, Optime SCHELHORNI, auribus do, nec licentius evagantur verba, ſed parciora ſunt, quam merebatur Vir ſupra communem ſortem poſitus, & ſcribo hæc tot annorum experientia in me & meis a Viro Optimo factis, & utinam! diutius, ſi fata permiſiſſent, faciendis doctus. Hæc cum ita ſe habuerint, nemo mirabitur, ad ædes ejus non cives tantum & primariæ quoque dignitatis homines tanquam ad Aeſculapii templum confluxiſſe, ſed & ſummos quoque, immo principes viros & Sereniſſimo ſanguine natos, capita ſua ejus fidei & curæ credidiſſe. Quod non faciebant tantum, qui Auguſtæ & ejus in confinibus habitabant, ſed & haud raro ex omnibus Germaniæ oris, & ab exteris quoque literæ advolabant, quibus vel Summi Principes & altiſſimo loco conſtitutæ perſonæ de ſua valetudine eum conſulebant, vel qui eorum ſanitati præfecti erant, a Noſtro de inita & ineunda porro medendi

ratione tanquam ab altero Hippocrate consilium capiebant, multum profeciſſe ſibi viſi, ſi Noſter vel annuiſſet, vel medendi rationem, quod ſemper ſumma fidelitate, humanitate, & modeſtia faciebat, præſcripſiſſet. Cujus generis conſilia cum tot numero Muſa Schrœckiana elaboraverit, dolemus merito Orbis literati & ægrotantium quoque fata, quod Vir uti eruditione & meritis illuſtris, ita modeſtia nulli comparandus maluerit in ultima voluntate jubere ea ſupprimi, quam editione vel ſummorum virorum arcanos haud raro morbos & circumſtantias prodere; aut ullam ambitionis de ſe dare ſpeciem.

Scripta. Magna hæc utique ſunt, & nominis immortalitatem famæque æternitatem parare apta, non tamen hisce adquievit invictum SCHROECKII ingenium, ſed & ad ſcriptis Orbi inſerviendum erudito, & ſolidiſſimis meditationibus & lucubrationibus rem medicam amplificandum abjecit animum. Ita enim plerumque comparatum eſt cum Viris, quorum ingenia primæ magnitudinis ſtellas æquiparant, ut nullis animi impetum contineri patiantur limitibus, ſed abundantiſſimas potius, quæ in animo latent divitias longe lateque ſpargant, &

vix

vix ulla eas communicandi cum aliis via ſit, quam non feliciter ingrediantur, felicius proſequantur, feliciſſime abſolvant. Verum multi Thyrſigeri ſunt, pauci Bacchi. Noſter vero SCHROECKIVS, uti rara & elegantiſſima eruditione abundabat, ita ut decore & cum laude applaudentis Orbis literarii ingenii theſauros depromeret & exponeret, feliciſſimo eventu laboravit. Non tamen ſponte ſua & ſcribendi quodam pruritu in ſcenam prodit elegantiſſima SCHROECKII Muſa, nec, qui perverſi multorum noſtræ ætatis hominum mores ſunt, eo doctiorem ſe putabat, quo audaciorem ſe in corradendis aliorum obſervationibus & oſtentando alienis plumis ingenio ſe præberet, quo plura, ſi non apte ſcriberet, ederet tamen utcunque in vulgus protruſa & centonis inſtar conſuta, modo Polygraphi nomen acquireret; illud enim uti à modeſtia & virtute Noſtri erat alieniſſimum, ita eruditioni ejus, ſolida tantum ſectanti, & domi abunde habenti, unde rem literariam egregie & cum laude juvaret, adverſabatur quam maxime. Sed fatis & Collegis ita volentibus, & honore Collegii Medici Auguſtani poſcente non ad leve ſcriptionis genus, ſed & argu-

mentum graviſſimum & refrenandum hoſtem, uti impune & jactanter hactenus graſſantem, ita rei medicæ apud Auguſtanos ignominiam & invidiam conflare conatum, immo plerisque ex ſilentio Auguſtanorum Medicorum magni habitum, ſe accinxit. *Joannem Zwelferum*, Palatinum, Medicum Viennenſem indigitari, nemo in Hiſtoria literaria Medicorum tam jejunus hoſpes eſt, ut ignoret. Is enim, neſcio quo animo, (invido certe & dicaci inſolentiora ejus ſubinde verba & ſcribendi ratio prodit) Pharmacopœiæ Auguſtanæ à celeberrimo *Adolpho Occone III.* primum editæ & à ſucceſſoribus, imprimis magni nominis & experientiæ Medico *Raymundo Minderero* emendatæ & auctæ, & in plerisque S. Rom. Imperii locis, ditionibus & urbibus, immo in exterorum quoque regionibus hactenus pro norma rei pharmaceuticæ habitæ & uſurpatæ refutationem, correctionem & temerariam emendationem ſuperbo ſatis & præfidenti animo auſus, *Animadverſionem in Pharmacopœiam Auguſtanam ejusque mantiſſam, ſive Pharmacopœiam Auguſtanam reformatam, Norimbergæ 1652. fol.* edidit, & in altera editione, quæ 1657. lucem vidit, appendicem addidit. Cui ſcriptori, cetera

tera non indocto, ſi id conſtitutum fuiſſet, ut opinionis & chymicæ Θεωρίας ſuæ rationes exponeret, dubia propelleret, & quæ a ſua ſententia diſcedebant, modeſte examinaret, tantum abeſt, ut id Medicis Auguſtanis diſplicuiſſet, ut ſine dubio laudem multam iſto pariter labore atque *pharmacopœia regia*, qua medicamentorum novam conficiendi rationem oſtendiſſe ſibi viſus eſt, ab eis atque univerſo orbe erudito reportaviſſet. Sed alia erat mens Zwelferi, qui ſua non cum laude edita & egregie, ſi Diis placet, commendata putabat, niſi cuncta bile & amaritudine conſpergeret, manes Virorum ſumma laude inclytorum conſpurcaret, in eorum cineres mingeret, & Auguſtani Diſpenſatorii famam, per integrum ſeculum ſancte conſervatam, convitiis inquinaret & proſcinderet. Noluit tamen Collegium Medicum cum homine non aliam litis cauſam & finem ſibi ſtatuente, quam ut ignobili pugnæ genere gloriæ Medicorum Auguſtanorum detraheret, contentionis ſerram reciprocare, ſed aut ad meliorem mentem eum rediturum, aut ſua ſe impudentia & canina dicacitate peremturum apud idoneos æquosque judices ſperavit: unde rara patientia ſilentio ejus inſolen-

tiam ſuppreſſit, & digna tantis viris modeſtia tam atroces injurias patienti devoravit animo. Quæ tantum abeſt, ut Zwelferi animum ad modeſtiam compulerint, ut potius in ultima Operum editione vehementes ſatis injurias in inclytum illud Medicorum Collegium iterum evomuerit, quo quoque animo tandem non expectato reſponſo ad plures antagoniſta abiit. Quæ omnia eo magis tolerabant, & patienter negligebant Viri optimi, quod, ne mortuo leoni inſultare viderentur, ſi ad imputationes & criminationes hujusmodi reſponderent, metuebant. Cum vero non eruditi tantum viri hactenus iſtud ſilentium improbaviſſent, ſed & Seplaſiarii & Pharmacopolæ eam ſibi ex modeſtia & patientia Auguſtanorum Medicorum audaciam ſumpſiſſent, quam lectis ipſorum libellis ϛυλιτϛυλικοῖς merito mireris, & de quorum impudentia prolixiorem narrationem & arcanam hiſtoriam *in ſpecimine Hiſtoriæ literariæ Medicorum Auguſtanorum* exhibui, (quod, ubi editum fuerit, cum hisce comparare, & ita integram controverſiæ hiſtoriam perſpicere, nec injucundum nec inutile fore puto;) cumque injuriarum & ſcriptillantium pruritus nec modus nec finis eſſet, & varia quoque affingerentur vene-

venerando Medicorum Collegio, quæ intolerabilia prorſus erant, immo ὑπερασπίσης, *Schmuzius* quidam, indecoro pugnæ genere, Collegio Medico, cujus partes ſe tueri crediderat, labem inſulſa ſcriptione aſpergere videretur, permovit tandem in venerandos majorum cineres pietas, erga veritatem amor, erga Collegas honor excellentiſſimum SCHROECKIVM Noſtrum, ut ad apologiam ſe accingeret, & expenſis atque ad trutinam rationis & experientiæ examinatis Zwelferi & aſſeclarum objectionibus egregias vindicias libri præſtantiſſimi pararet, quas conſenſu collegarum, etſi inter eos ætate & auctoritate minor, in *Pharmacopœia Auguſtana reſtituta, ſive examine animadverſionum in Diſpenſatorium Auguſtanum ejusdemque Mantiſſam Hermeticam Joannis Zwelferi, Palatini*, in patria anno 1673. 4. edidit. Non narrabo vel contenta libri vel ſcribendi rationem, dicto loco pluribus a me expoſitam, & in ipſo libro paſſim obvio videndam, cum non Hiſtoria literaria, ſed elogium tantum illuſtris Viri dandum ſit: illud tamen præteriri non debet, ita ſe in prolixa iſta Apologia geſſiſſe SCHROECKIVM, ut neque eruditionis accurationem, neque experientiæ certitudinem, neque

neque dictionis nitorem, neque modeſtiæ ſingularis ſpecimina jure quis deſideret, & ita debellati fuerint adverſarii, ut propriis telis jugulati non invenerint, quid reponerent, præter ſarcaſmos, & turpia verba & calumnias, quas humaniſſima ſcribendi & tractandi ratio Schrœckiana haud aliter, ac ſolis radii inſectorum genera quævis, præter culpam ſuam provocavit. Iterum enim in ſcenam prorepens emendicatus *Mulleri* Pharmacopœi Viennenſis calamus, qui ſe umbræ Zwelferianæ paraſtatam venditabat, vel potius *Spaenholzius* quidam, qui *Philonis Naſturtii* nomen mentitus fuerat, non Schmuzio tantum, ſed SCHROECKIO quoque canina prorſus rabie & inhumana dicacitate reſpondit. Fruſtra hic quæres argumentorum pondera, objectionum ſolutiones, luculentiora rerum controverſarum lumina, ſed miſerabile convitiorum & verborum male cohærentium chaos, quod qui ſine nauſea & ſtomacho legerit, næ is omnem ſenſum exuiſſe cenſendus eſt. Ad quos tamen miſeri homuncionis thraſoniſmos pauciſſimis & ita reſpondit illuſtris Pharmacopœiæ Auguſtanæ Defenſor, ut invictam ejus patientiam non minus quam elegantem eruditionem admirandam

randam propinaverit in *Ejusdem defenſione*, Auguſtæ 1675. editæ: aſt paucorum foliorum iſta reſponſio fuit, prolixiorem enim cum ejus generis nominibus nec ſibi decorum nec rei medicæ utile & honeſtum judicavit, memor illius Senecæ: *Noli congredi cum imperitis. Nolunt diſcere, quæ nunquam didicerunt.* Prolixiorem tamen tractationem requirebant alia, quæ celebris nominis Medicus *Fridericus Hoffmannus* in *clave Pharmaceutica Schrœderiana* protulerat dubia; qui quod modeſtia & eruditione tinxerat calamum, & Zwelferi partes moderate ſuſceperat, talem expertus eſt Noſtrum, ut pateret, non cum inſulſis tantum, ſed & cum Viris doctis congredi noſſe SCHROECKIVM; dubiumque eſſet, utrum plus honoris afferret, hunc in modum vinci vel vincere? Et ita quidem invictus in arena ſtetit, & cum Pharmacopœia aliquoties ejus cura, anno ſcilicet 1684. 1694. 1710. aucta & emendata, perpetuam honoris atque famæ conſervavit integritatem.

Alterum, quod luci eruditorum publicæ expoſuit ſcriptum SCHROECKIVS, fata non ſibi tantum, ſed & orbi literario nimis maturo obitu erepti & poſt funera deſideratiſſimi Avunculi, *Georgii Hieronymi*

nymi Welſchii, Medici Auguſtani, & in S. R. I. Societate Naturæ Curioſorum dicti Neſtoris, & Noſtri in eum poſtulabant pietas. Quia enim ipſe Vir doctiſſimus, cujus ſcripta raram & inſolitam eruditionem ſpirantia æternum Auguſtæ orbisque literati ornamentum erunt, exorſam vitæ ſuæ conſcribendæ telam, mortis telo præventus pertexere non potuerat, Noſter non tantum privato affectu Avunculo, Compatri, Medico, Collegæ, Compatriotæ monumentum erat poſiturus, ſed ex Academiæ Naturæ Curioſorum inſtituto memoriam tam celebris membri commendaturus. Id quod etiam factum, edita 1678. *Memoria Welſchiana* ſive *hiſtoria vitæ ejus*, in qua non de vitæ tantum ejus ratione, eruditione, honoribus, Amicis, & quæ alia ſunt, quæ eruditis honorifica eſſe ſolent, ſed & de ſcriptis tum effectis tum affectis, quorum numerum & argumentorum ſingularem raritatem merito ſtupeas, luculenter differit, nobili eoque egregio exemplo, qua ratione ejusmodi biographiæ ſint conſcribendæ, dignusque, cui tot nominibus meritus tribuatur honos, in tanto per duo ſecula Auguſtanorum eruditorum numero admodum rarus, & neſcio quo,

pene

pene dixeram ingrato, animo insolitus à B. Spizelio demum ex exilio quasi revocatus. Sed hæc obiter. Quia vero Nostro necessitudinis & amicitiæ jure ex ultima voluntate Welschii opera quædam ejus ἀνέκδοτα in manus venerant, noluit ea supprimere, sed desideriis & iteratis votis eruditorum satisfacturus, primo quidem *Methodum medendi Walæo-Welschianam* anno 1679. & altero anno *Ejusdem Curationum propriarum & Consiliorum Medicorum Decades X.* edidit; de quibus, cum in vita Welschii & in præmissis præfationibus plura ipse dixerit Noster, ea huc non transferam, nisi hoc unum addidero, stupendam quoque SCHROECKII in his operibus edendis fuisse diligentiam & inexpugnabile non suis tantum, sed aliorum quoque observationibus rem medicam & literariam juvandi studium, qui tot aureas in describendo summo fastidio MSC. horas utilitati lectoris dicavit, ut ipse in præfatione innuit.

Plura vero & majora præstitit nobile SCHROECKII ingenium in edendis *Joannis Hellwigii*, Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, Physicique Ratisbonensis celeberrimi *Observationibus Physico-Medicis.*

Quas

Quas cum poſt funera Auctoris nactus eſſet immortalis nominis Medicus *Jo. Georgius Volckamerus*, Archiater Noricus, transmiſit Welſchio, ut ederentur, & hoc quoque fatis functo, SCHROECKIO commendavit, ut & typis exſcribi curaret, &, ubi videretur, ſcholiis adaugeret. Id quod mira felicitate ita præſtitit, ut mirabile & lectu jucundiſſimum ſit, occaſione obſervationum Hellwigianarum tot adnotationes enaſci doctiſſimas, tot virorum celeberrimorum exponi cogitationes, tot ſingularia afferri rerum inuſitatarum momenta, unde varia & multiplex Schrœckiana eruditio latiſſime ſe demonſtravit. Quod tamen hanc laudem longe ſuperat, meo quidem judicio, inæſtimabilis ſentiendi & philoſophandi libertas eſt, qua divinum Podalirii Noſtri ingenium uſum eſt. Uti enim in omni philoſophia, cujus partem nobilem Medicinam conſtituunt, quicunque recte rationes inire norunt, nihil veritati magis officit, quam præjudicia auctoritatis & antiquitatis, quæ ſcilicet incrementis ſtudii medici tantopere hactenus obſtitere, ita Noſtrum regiam hanc viam ingreſſum, feliciſſime has cautes & ſyrtes ſuperaviſſe tum ipſa Scholiorum Hellwigianis obſervationi-

bus

bus additorum lectio, tum confeſſio præfantis innuit, fatentis, *ſe in libera natum & innutritum Republica, artium quoque ipſo nomine liberalium eſſe ſtudioſum, qui absque alterius injuria, ea in temporum felicitate, qua, quid ſentiamus, libere edicere licet, ſuum non minus animi ſenſum libere exponere voluerit.* Quæ uti egregia, & juſtò, quod ajunt, guſtu veræ philoſophiæ plena ſunt, ita in tanto viro imitationem oppido merentur.

Tandem ad plenam, quam ab annis quatuordecim inceperat, concinnandam *Moſchi hiſtoriam* animum adjiciens, eandem ad leges Academiæ Naturæ Curioſorum elaboratam, anno 1682. 4. publicæ luci expoſuit. In ea de Moſchi nomine, origine, & variantibus auctorum ſententiis, de animali moſchifero ejusque folliculo locoque natali: de Moſcho adulterino veroque, ejusque natura, qualitatibus, incommodis, virtutibusque in omni fere morborum genere, de doſi Moſchi, medicamentis Moſchatis, uſuque Moſchi ſacro, politico, œconomico, coſmetico, emblematico, deque rebus naturalibus moſchatis, tanta eruditione, variæ lectionis copia per auctorum veterum & recentiorum latifundia ſe diffundente, tan-

to imprimis philologiæ curioſæ præſidio differit, ut impius & ab omni ſolidioris eruditionis ſenſu remotus ſit oporteat, qui non Magni Volckameri judicio ſubſcribat, ita de hoc libro canenti:

Dum tractat manibus, Moſchum dum Schrœckius edit,
En! tibi divino tinxit odore librum.

Et *Georgii Franci:*

Nil tibi corporei eſt, ſis ſpiritus omnis, oportet;
Nam tua vis replet Solis utramque domum.

Incidebant biennio poſt Secularia Collegii Medici, quod ſcilicet V. A. *Lucæ Stenglini* potiſſimum cura, auſpicio vero illuſtris Senatus Auguſtani anno 1682. erectum ſumma cum laude hactenus floruerat. Cujus memoriam ut ipſe quoque celebraret, edidit hoc anno 1682. *Hygeam Auguſtanam*, ſive memoriam ſecularem Collegii Medici Auguſtani, inque ea non hiſtoriam tantum ejus & virorum celeberrimorum, qui Auguſtæ floruerunt, in artem ſalutarem merita, ſed

ipſius

ipſius quoque inclytæ Reipublicæ in divinam hanc artem benevolentiam & ſtudium elegantiſſime expoſuit, magnamque eo nomine gratiam, tum ab illuſtribus Reipublicæ proceribus, tum ab ipſis Collegii Medici membris iniit, quam multum auxit, cum Collegii Medici nomine biennio poſt anno ſc. 1684. novam eamque multum auctam *Pharmacopœiæ Auguſtanæ* editionem pararet, de qua ſupra me dixiſſe memini, otioſe hic non repetenda.

Nondum vero hic indefeſſi & vere ænei ingenii Schrœckiani laborum publicorum finis eſt, ſed enumerandæ jam eſſent tot obſervationes doctiſſimæ, ſummaque eruditione refertæ, quas *Miſcellaneis Academiæ Naturæ Curioſorum* ſingulis annorum Decuriis inſeruit: adjiciendaque doctiſſima Scholia, quæ aliorum quoque lucubrationibus, ex quo Ephemeridum Director, & poſtea Academiæ Præſes creatus erat, addidit: Verum cum hæc ſcriptionis hujus limites excedant, & ex præfixis auctorum indicibus facile colligi queant, ad iſta quidem non deſcendo, id unum annotaſſe contentus, tantam in iis tamque ſingularem emicare eruditionem, ut meritiſ-

ſimàm honorum ſummorum viam ei ma-ture ſtraverint, largisque laudis & famæ corollis cumulaverint.

Honores. Patuit ea Noſtro, cum erudi-tionis præſtantiſſimæ datorumque de ea ſpeciminum, memor illuſtris Aca-demiæ Naturæ Curioſorum Præſes, in-ter ſocios eum, conſuèto diplomate ex-hibito, anno 1677. reciperet, *Celſi* addi-to cognomine Societatisque teſſera. Nec incommode præterque rem hoc ei nomen eveniſſe cenſeo, qui non ſolum ingenium monſtrabat excelſum, & ad magna & ardua enatum, cui illud Curtii incitamento ſemper erat: *nihil tam alte naturam conſtituiſſe, quo virtus non poſſit eniti:* Sed qui rei medicæ experientia fa-migeratiſſimum quoque inter Latinos Medicum Celſum non æquabat modo, verum etiam, quæ noſtrorum temporum eſt felicitas & artis perfectio, ſuperabat. Id quod ſumma ſedulitatis & doctrinæ raritate in promovenda, juxta nobile il-lud inſtitutum, re literaria Medicinæ comparavit, exhibitis frequentibus ob-ſervationibus rariſſimis, immo, quod ſu-pra audivimus, libris quoque, juxta nor-mam ab eo præſcriptam, doctiſſime ela-boratis. Quibus artibus cum ſibi ma-

gnam

gnam ubique famam cum apud Germanos, tum apud exteros conciliaſſet, & perſpectiſſima omnibus eſſet ejus eruditio, ad alia quoque Orbis literati decora aditum invenit. Anno enim 1678. Patavinorum Academiæ, quæ *Recuperatorum* nomen ſibi ſumſit, à Præſide ſummi nominis Medico *Carolo Patino*, qui Noſtrum impenſe diligebat, & frequens cum eo inſtituebat literarium commercium, adſcriptus eſt; quam poſtea, anno ſcilicet 1701. *Academia Phyſicocritica*, & *Romanorum Colonia Phyſicocriticorum* ſecuta eſt, magnum honorem & ornamentum ex tam nobili tamque claro membro non inanibus votis captantes. Verum & Germania meritorum ejus grate memor, inque augendis ejus honoribus minime ſegnior, de evehendo Schrœckiano nomine admodum fuit ſollicita. Anno enim 1681. ſplendidiſſimo Academiæ Naturæ Curioſorum Præſidi, plaudentibus Collegis, *Adjunctus*, & anno 1685. *Ephemeridum* quoque *Director* nominatus eſt, quod talis eſſet Noſtri eruditio, ut non melius aptiusque iſtud munus, quod & ſingularem induſtriam, & literaturæ, quam dicunt, elegantioris haud vulgarem cognitionem requirit, alii com-

mitteretur, fatente in diplomate ipſo Præſide. Ex quo tempore quoque Noſter non indefeſſo tantum ſtudio, in tanta, qua utebatur, clinicæ praxeos frequentia, in opus hoc incubuit, ut elegantiſſime & ornatiſſime ſemper in publicum prodiret, ſed & tot doctiſſimis obſervationes Scholiis paſſim auxit, ut haud exiguam illa libri partem ſibi vindicent. Verum & hæc occaſio fuit literarium commercium cum plurimis ſummæque famæ & celebritatis Medicis ineundi, ita ut fere ſpondere auſim, vix eſſe Medicum alicujus famæ ſcriptisque clarum, à quo non epiſtolas acceperit Noſter, vel ad eum miſerit: nec excitabo nomina ex Ephemeridibus ab eo tempore, quo earum dirigendarum curam ſuſcepit, facile colligenda. Illud tamen merito dolemus, vix ſupereſſe ſpem, ut tantus theſaurus Epiſtolicus lucem unquam videat, cum voluntas Viri Summi obſtare videatur. Ut tamen pateat, quo loco exteri quoque Noſtrum habuerint, unam addo, quæ forte fortuna in manus meas devenit, epiſtolam, & ſua elegantia & ſcribentis nomine rariori exemplo commendabilem, quam ſcilicet elegantiſſimi ingenii femina, *Carola Catharina Patina*, patris deſideratiſſimi

ſimi difficilem obſcurumque morbum & ſecutam eum mortem ſignificavit, & medicam anatomicamque ejus morbi hiſtoriam, Polypum aortæ revelantem, transmiſit, quam quoque SCHROECKIVS *Ephemeridibus Dec. III. ann. I. in appendice p. 87. ſeqq.* una cum epiſtola medica, quæ obſcuriſſimam morbi cauſam præſagiverat, inſeruit, Virginem iſtam eruditione virtutumque ornamentis nobiliſſimam vere prædicans. Ita vero illa:

Illuſtriſſimo Viro Domino

D. LVCAE SCROCIO

Archiatro Ceſareo

CAROLA CATHARINA PATINA S.

„Poſtquam parens optimus quinque „menſium ſpatio ſæviſſima & ob„ſcuriſſima ægritudine conflictatus fue„rit, die decima Octobris poſt repetitos „validiſſimæ orthopneæ inſultus apnoi„cus occubuit. Anatomicam hiſtoriam „haud ſine lacrimis perlegendam tuæ

„curioſitati ſeu dolori potius ſubjicere „putarem, cum ſciam, quanta jucundi„tate ipſius amicitiam excolueris. Ange„batur parens optimus morbi potius ob„ſcuritate, quam ſævitia, & pudebat Me„dicum in Medicinæ emporio ignoto æ„re, quo ſibi mortem compararet, è vi„vis diſcedere. Culter anatomicus D. „Alexandri Macopii ipſi addictiſſimi, qui „ſæpe de detecto morbo voce & ſcriptis „philoſophabatur, veritatem denudavit. „Mæſtiſſimam me ſupervivere, Tibi haud „dubium erit, nec alio levamine profli„gabitur dolor, niſi in me eadem bene„volentia, qua patrem meum proſeque„baris, derivata, quam ditiſſimam hære„ditatem, Te quamdiu ſuperſtite, mihi fa„ta largiantur. Vale Vir Ornatiſſime, mi„hique & familiæ noſtræ favere perge. „Scr. Patavii, lacrimis potius, quam atra„mento, die 23. Octobris 1693.

Multo tamen majores parabantur honores Noſtro à Summo Imperii Monarcha, LEOPOLDO I. glorioſiſſimæ memoriæ, rerum Germanicarum ſupremo arbitro. Qui Auguſtiſſimus Imperator uti clementia prorſus ſingulari & æternis laudibus decantanda in bonas literas ferebatur, ita propenſiſſimo quoque affe-

ctu

ctu tam nobile, famæque Germaniæ multum decus concilians Collegium atque inſtitutum proſecutus eſt, quo illud in tutelam Sacri Romani Imperii recepit, & Præſidem pariter atque Ephemeridum Directorem S. R. I. Nobilium numero adſcripſit, Comitum Palatii Sacri Lateranenſis axiomate & Cæſareæ perſonæ Medicorum honore auxit, & alia privilegia conceſſit, tanto Imperatore digniſſima, quæ ipſe Noſter in *Hiſtorica continuatione progreſſus Academiæ Leopoldinæ Imperialis Naturæ Curioſorum Dec. II. ann. 88.* adductis diplomatibus Cæſareis, pluribus enarrat. Quo honore mactatus SCHROECKIVS, aureo quoque numo, Sacram Imperatoris imaginem referente, confirmato, eo non ad efferendam animi ſuperbiam, à qua tantopere abhorrebat, ſed ad promovendas bonas literas uſus eſt. Quo factum, ut, cum Volckamero è vivis ſublato, Præſidis illuſtre munus vacaret, excelſum hoc honoris faſtigium unanimi membrorum conſenſu, approbante electionem Auguſtiſſimo Imperatore, ad SCHROECKIVM devolveretur, cui ab anno 1693. per triginta atque ſex annos tanta accuratione præfuit, ut non minus gloriæ ab eo illuſtris Academia,

quam Ipſe ab ejus præſidio conſequeretur.

Tam effuſis itaque cum proſequerentur honoribus Noſtrum exteri, ſummusque Germaniæ Monarcha, impietatis plane accuſanda fuiſſet patria, niſi & ipſa, quantum poſſet, tantum Vrbis ſuæ atque civium ornamentum evexiſſet; Verum nec ea parcior in hac re fuit. Ut enim taceam Decani Collegii Medici munere eum prima quidem vice 1683. & per vitam ſepties, inſolito hactenus apud Auguſtanos exemplo, ſumma cum laude fuiſſe functum, anno inſuper 1712. propter ſumma in rem medicam merita Secretioris Senatus decreto & juſſu Phyſicus primarius, Collegii Medici Vicarius, & officinarum Pharmaceuticarum Viſitator perpetuus conſtitutus eſt, tam felici ſucceſſu Patrum electionem approbante, ut ſero licet funere humanis rebus, hisque muneribus ereptus, impatientiſſimum tamen diligentiæ, doctrinæ, fidei vigilantiæque curæque deſiderium apud omnes relinqueret.

Vita privata. Talis erat, Amiciſſime SCHELHORNI, illuſtris SCHROECKIVS, ſi ejus vitæ in theatro Orbis eruditi actæ hiſtoriam ſpectes: ad privatas ejus

ejus circumſtantias quod attinet, matrimonium iniit an. 1678. die 18. Maji cum Virgine omnibus virtutis & laudis ornamentis conſpicua, *Anna Catharina Pfanzeltia*, Viri Nobiliſſimi *Porphyrii Pfanzeltii*, mercatoris famigeratiſſimi, filia, qua cum dulce quidem & amicum expertus eſt conjugium, verum non admodum fœcundum, quippe ex quo nonniſi unius filii, præmaturo fato poſt annum iterum erepti, pater factus eſt, quam tamen orbitatem doctiſſimis ingenii fœtibus Noſter ſolatus eſt, ita ut deficiente SCHROECKIANI ſanguinis ſobole, non deſint tamen filii literarii, libros puto ſumma arte ab eo elaboratos.

Mores.

Ceterum nec mores ejus privati hic tacendi ſunt, quibus ſcilicet non minus, quam eruditione ſe fecit commendatiſſimum. Eluceſcebat enim in eo rara & ab omni fuco remota pietas, quæ etſi ab omni ſpecie & oſtentatione vehementer abhorrebat, radios tamen per totam Urbem ſparſit, ita ut non minus exemplo, quam colloquiis multos inſtrueret, & ad paria audenda excitaret. Uſus enim naturalium rerum cognitione ad deprædicandam opificis ſapientiam, toties infinitæ Majeſtatis adoravit veſtigia, quoties

ties novas de rebus naturalibus faciebat obſervationes, vel ægrotos mortis faucibus eripiebat. Facile ex his, quæ veritate dictante & tota civitate Auguſta teſte ſcribo, colligere licet, poſito hoc fundamento totum virtutum chorum in Illuſtri Viro emicuiſſe, quippe cui nec morum ſanctitas & vitæ innocentia, nec frugalis & ſobria vivendi ratio etiam inter affluentes opes, nec reverentia erga Superiores, nec ſuavitas vivendi & converſandi, nec fidelitas amicitiæ, nec amor pacis & tranquillitas, nec beneficentia erga pauperes ullo modo deeſſent, in quibus omnibus, ſecundum Symboli ſui argumentum, *nunquam* erat *otioſus*. Tam nobile itaque literati orbis, & imprimis patriæ Auguſtanæ ſidus ſero omnino occidere par erat, & in votis habebatur ab omnibus. Annuit divina gratia, quæ Orbi erudito præſidium, patriæ ornamentum, ægris ſolatium rara annorum diuturnitate concedebat. Quam divini Numinis in ætate provectiore benevolentiam uti Noſter Medica diætæ ratione, cum quoad animum, tum quoad corpus maxime adjuvit, ita beneficium hoc gratiſſimo agnovit animo. Nec tamen ita rerum humanarum, quæ fluxæ & caducæ

Obitus.

cæ ſunt, amore capiebatur, ut cœleſtia non appeteret, nec honoribus & divitiis inter mortales pertæſus, æterna faſtigia & duraturos theſauros anhelaret. Ad hos enim fines ſenectutis imprimis tempora deſtinaverat, & virium decrementa, animi incrementa & itineris feliciſſimi præparationem eſſe voluerat. Qua de re ipſa magis Viri Maximi, quam mea verba apponere liceat, ita ad me ſuperioris anni veris initio ſcribentis: „Gravior „hyemis præſentis ſtatus vires corporis „mei, tot annis jam gravati, non parum „debilitavit, capitisque vigorem dimi„nuit, ut de longiori vitæ productione „cogitare haud poſſim, immo nec deſi„derem, devotas ſimul gratiæ divinæ, „quæ tot me beneficiis hactenus obruit, „gratias agens.„ Quibus artibus bene præparatum, & in ſtatione ſummi Imperatoris vocem expectans pectus non potuit non ultimum iter feliciſſimis ingredi auſpiciis, ad quod ſcilicet tam ſollicite ſarcinulas hactenus convaſaverat. Cujus ingrediendi prænuntium ſe præbuit maraſmus ſenilis, qui naturalem vigorem ſenſim enecabat; non ita tamen, ut non totus devotus DEO mira domeſticorum, quique eum viſitaverant, erectione

ne adhæreret. Qua animi præſentia & conſtantia, maxime vero devotione ſumma, & pia in DEI & Salvatoris gratiam & merita fiducia conſpicuus, animam tandem placidiſſima & beatiſſima analyſi reddidit Creatori maximo die tertio Januarii anni hujus 1730. hora poſt meridiem nona, quartum ſupra octogeſimum annum agens, in quo vere impletum eſſe puto, quod dici ſolet: *Medicum oportere ſenem mori.* Ita quidem rebus terrenis ereptus eſt illuſtris SCHROECKIVS, plangunt Muſæ, dolet patria, lamentantur ægroti, ipſe tamen meliori ſui parte ſuperſtes, divinæ Academiæ Socius adſcriptus coram æternæ ſapientiæ throno inenarrabilia verba differit, æternam interim nominis immortalis poſt ſe trahens nobisque relinquens fragrantiam. Quam in ultima voluntatis quoque ſuæ demonſtratione inſigniter auxit, variis legatis ad pias, quod dicunt, cauſas deſtinatis. Immo ut Orbi literario poſt cineres quoque & favillas prodeſſet, Bibliothecam quoque ſuam, optimis & præſtantiſſimis libris refertam, celeberrimæ Auguſtanæ Reip. Bibliothecæ Legato intulit, in qua tam diu de SCHROECKIANI Nominis & famæ celebritate loquetur, quam diu honos

honos nomenque laudesque manebunt bonis literis.

Et hæc ſunt, Amice Jucundiſſime, quæ de tanto Viro, uti imperaſti, non tam copioſe & ex argumenti dignitate perſequi, quam inſubida potius & præ-rupta ſcriptione, qualem meam pauper-tatem noſti, delineare conſtitutum fuit. In qua tractatione, ſi vel Tu vel alii bal-butientis offendentur infantia, dabit ta-men gratiam & conciliabit benevolen-tiam argumenti nobilitas, & il-luſtre SCHROECKII nomen.

II.

JACOBI ZIMMERMANNI VINDICIARUM

Exercitationis ſuæ de Atheiſmo Platonis (*).

PARS II.

Sect. XXIV.

Hactenus ergo abunde docuimus, nulla perſpicua loca a *Cl. Gundlingio* allata eſſe, ad Syſtema ſuum defendendum. Videamus jam utrum alia argumenta in promtu habeat, quibus ſuam ſententiam tueri poſſit. *Sect. VIII. Diſſert. ſuæ* incipit ſyſtematis ſui ponere fundamenta; omnia huc redeunt: Materiam

(*) B. Lector facile deprehendet, diſſertationem hanc apologeticam, vivo adhuc & ſpirante Cl. Gundlingio, ab Auctore conſcriptam. Cum enim jam ad prelum parata eſſet, fama ad ipſum delata eſt, Illuſtrem Virum ad plures abiiſſe. Hæſitabat igitur, utrum illam luci publicæ expoſiturus eſſet, nec ne

teriam Platonis ſecundum me eſſe æternam, minime a Deo e nihilo creatam, eandem ab æterno fuiſſe in confuſo motu; motum autem materiam non habere a ſe, non item a Deo creatum, neceſſario igitur ad emanationem confugiendum; ubi autem emanatio, ibi fluxum locum habere, materiam igitur a Deo ab æterno emanaſſe. Hæc ſequentibus theſibus identidem repetit, atque ad ea tanquam principia mathematica provocat. Sed tota illa ſuppoſitio falſa mihi videtur. Confundit enim perpetim *quæſtionem juris* cum *quæſtione facti. Quæſtio inter Cl. Virum & me hæc eſt: Utrum Plato Spinozæ ſententiæ addictus fuerit, nec ne?* aſſerit ipſe, ego nego. Provocamus ergo jure ad teſtimonia, ex quibus ſententiam

ne, verebatur, ne quibusdam mortuo Leoni inſultare, uti proverbium habet, videretur. Cum autem amici, quibus multum tribuit Auctor diſſertationis, monerent, apologiam iſtam, ad illuſtrationem hujus thematis, aliquid conferre poſſe, deſiderio illorum ſatisfacere voluit. Quod ſi beati Viri admiratores putent, verbum aliquod duriuſculum Apologetæ excidiſſe, illud non dictum quam maxime vellet, ſimul tamen rogat, ut illi, qui manes ejus venerantur, velificationem B. Viri legant diligenter, antequam apologeticâ hâc diſſertatione acerbius, quam par eſſet, exceptum eſſe Defunctum, judicent.

Platonis cognoſcere licet. Adduxit ille duo loca, quibus probare voluit, materiam e ſinu Dei propulſam. Ego non ſolum directè alia huic ſententiæ oppoſita adduxi teſtimonia; Sed oſtendi etiam, illa ipſa ex Philebo & Locro adducta prorſus nihil probare. Exiſtumo autem, in explicatione veterum perſpicuis teſtimoniis inſiſtendum eſſe, ſive illa vera vel falſa, noſtram ſententiam confirmatura, aut ſubverſura. *Tota* autem *moles ratiocinationum Gundlingii* ex *meris conjecturis & conſequentiis conſtat.* Abſurdum eſt, inquit, Platonem materiam æternam per ſe ſubſiſtentem, confuſe motam credidiſſe. Ita eſt. Sed num ideo ſequitur: Ergo Plato id non profeſſus eſt? ergo clariſſima teſtimonia neganda, aut alium in ſenſum torquenda? cedo conſequentiam. *Non enim quæritur, quid ſentire debuerit, aut quomodo potuerit ratiocinari*, ſed *quid ſenſerit?* ab hac quæſtione ſi diſcedimus, *meræ ſurgent tenebræ. Hierocles* aliique inter veteres agnoverunt, abſurdum eſſe, materiam aliquam ſtatuere æternam, hinc nimio tandem amore *Platonis abreptus Hierocles* adſeruit, *Platonem creationem* materiæ è nihilo profeſſum. Sed vapulavit ille. Quare? quia, quid dicere debuiſ-

debuiſſet Plato, oſtendit, non item quid ſenſerit. Si ad Spinozæ Syſtema oculos mentis convertamus, non minores difficultates occurrunt, ſed errorum monſtra. Quid ergo faciendum? meâ opinione, poſitis omnibus præjudicatis opinionibus, legendus ipſe *Plato*, neque unus aut alter locus evolvendus, ſed totius Syſtematis nexus, quantum fieri poteſt, introſpiciendus, & tum demum quid ſenſerit, verum an falſum, abſurdum vel ſolidum, dicendum. Hoc pro viribus præſtiti, *apertiſſimaque adduxi loca*, quibus probatur, Platonem materiam æternam a Deo prorſus diverſam, nullo modo conjunctam agnoviſſe. Sed fluxionis materiæ e Deo nullum eſt veſtigium. Num autem propter motum materiæ, quem Plato in materia illa indigeſta ſupponebat, contra evidentiſſima illa teſtimonia & nexum Syſtematis, aſſerendum eſt, fluxionis illius cauſam in Deo quærendam, Platonemque unicam ſubſtantiam agnoviſſe? non putaverim. Eadem ratione, ſi ita veteres interpretari liceat, probabo, Platonem creationem e nihilo agnoviſſe. Exaggerandæ tantum erunt difficultates, quæ in Syſtemate duorum principiorum & Spinozæ locum habent, & adferenda quæ-

dam loca, quibus hoc probari videtur, & habebo, quod volo. Sed ita fruſtra me eſſe, omnes rerum æqui arbitri judicarent. Hinc puto, inutilem eſſe illam *quæſtionem* Sect. 10. alibique *toties totiesque* repetitam, quomodo materia a Deo moveri exornarique potuerit, ſi per ſe extiterit? quodnam jus habeat Deus in materiam? Neque enim ego abſurdæ ſententiæ a Platone aſſertæ explicationem dare vel poſſum, vel debeo. Si *D. Gundling.* interrogarem, quomodo admirabilis ille ordo a cauſa neceſſario agente ſecundum Spinozam exoriri potuerit? ſine dubio reſponderet, quæri, quid Spinoza ſenſerit, non item, quid ſtatuere debuerit. Sibi ergo habeat idem reſponſum. Nullus ex iis, qui abſurdum *Transſubſtantiationis* dogma defendunt, hoc σιδηροξυλον explicare poteſt, nec minus tamen conſtanter defendunt. Sufficit igitur probaſſe, Platonem materiæ æternam ſubſiſtentiam probaſſe, licet, quâ ratione eam probare, aut cum aliis aſſertis conciliare potuerit, explicare non poſſimus. Hæc cum jam in diſſertat. mea dixiſſem, *D. Gundling.* Sect. 98. hanc meam reſponſionem *abſurdam* vocat, *& neſcire me leges veriſimilitudinis.* Sed ego pro mea ſimplicitate hactenus

hactenus credidi, ſummum gradum veriſimilitudinis efficere *aperta teſtimonia*, in *quæſtione* nimirum *facti*. Utrum autem teſtimonia adtulerim perſpicua nec ne, aliorum, qui extra partes ſunt, judicium eſto. Neque enim, *addit D. G. omnes, quas nos cernimus oriri inde periculoſas concluſiones ex emanationum doctrina, comprehendit Plato.* Sed probandum primo, Platonem emanationem ex Deo ſtatuiſſe. Deinde majori jure eam reſponſionem meam facio. Ego non conjecturis, ſed argumentis probo, *Platonem* materiæ æternitatem agnoviſſe, & hoc poſito, ajo, fruſtra abſurditatem hujus dogmatis urgeri, quandoquidem omnes conſequentias inde orituras forſan non perſpexit. *Plato* ordinem univerſi contemplans, ſummum mundi Rectorem eſſe concluſit, dum autem ad materiam ſe convertit, creatio ex nihilo illum turbabat. Aſſeruit igitur, materiam eſſe æternam, de modo, quo Deus in eam ageret, aut quod jus in eam haberet, interea ſolicitus non erat. Exornata eſt ſecundum eum a Deo materia, ergo hoc fieri etiam potuiſſe concluſit. At *Chaldæi*, inquit, *Ægyptii*, *Pythagoras*, *Heraclitus*, *Socrates aliique* ἀπορρήτους *ſtatuerunt*, *hos ſecutus eſt Plato.*

At ego hæc omnia mihi probari vellem. Scio, *Heraclitum, Pythagoram* aliosque aſſeruiſſe, *materiam in perpetuo fluxu eſſe.* Sed materiam illam in perpetuo fluxu exiſtentem *ex Deo* tanquam *ſubſtantia corporea* emanaſſe, hoc inquam probari vellem. Scio, *P. Baylium* jam *ante Gundlingium* talia perhibuiſſe; ſed ſuo tempore oſtendam, non iis argumentis ſuperſtructam eſſe hanc aſſertionem, quæ veri amantem in adſenſum pertrahere poſſit. Sed pone, hos omnes *Spinozæ* ſententiæ addictos fuiſſe, tum quæſtio graviſſima ſupereſſet, utrum *Plato* hac in parte ab iis ſeceſſerit nec ne? & ita denuo ad perſpicua loca Platonis omnis controverſia devolveretur. Cum autem hactenus e *Platone* perſpicue conſenſus ille cum *Spinoza* probari haud poſſit, jure adſero, eum in alia omnia iviſſe.

Sect. XXV.

Cl. Gundling. Sect. XI. & ſequentibus ingeminat, veteres quidem æternitatem materiæ profeſſos, ſed ſimul tamen eandem materiam fluidam ex eſſentia divina emanaſſe, perhibuiſſe. Nullo autem cum hoc probet teſtimonio, opus non eſt, ut multis huic

huic objectioni inhæream. Sect. *XVIII. & XIX. eandem cantilenam repetit, & rogat*, ut explicem, quomodo ergo materia æterna ordinari potuerit a Deo? quam poteſtatem habeat Deus in materiam æternam? unde motus ille confuſus materiæ? Sed ſupra ſatis reſpondi, ad has quæſtiones interrogandum eſſe Platonem ipſum. Probandum ſaltem, poſita illa materiæ æternitate, Deum tolli, aut unicam effici ſubſtantiam. Sect. XX. *denuo ad Ægyptios, Chaldæos &c. provocat* ἀποῤῥοιας *defendentes.* Novi, *Chaldæos* de *intellectualibus Sectionibus* & ἀποῤῥοιαις loqui, ſiquidem ſtandum eſt fragmentis illis, quæ reſtant. Sed earum nomine intellexiſſe *proprie dictum* aliquem *fluxum, partiumque divulſionem*, probandum eſſet. Materiam interim certo ſenſu ἀγενναῖον & γενναῖον dici poſſe, ſupra jam monui. Provocat ad *Stillingfleetii Orig. Sacr.* Lib. III. p. 846. in quo *illuſtris* ille *Præſul* oſtendit, *Thaletis* ὑδωρ & *Platonis materiam confuſe motam idem eſſe.* Concedo hoc, ſed probetur, Thaletem dixiſſe, materiam illam, quam ὑδωρ vocat, *e ſinu Dei per fluxionem emanaſſe.* Non quæritur enim, utrum Platonis materia æterna in perpetuo fuerit fluxu? ſed utrum ex divina Eſſentia Numinis effluxerit?

Vellem, ut Cl. *Gundling antecedentia etiam Stillingfleetii* perpendiſſet. Pag. enim 843. ex *Laertio* docet, *Ægyptios mundo originem dediſſe.* Pag. 845. teſtimonio *Plutarchi* docet, *Pythagoram duo principia* omnium rerum ποιητικον αἰτιον (ὁπερ ἐστι νους) & παθητικον καὶ ὑλικον, *agnoviſſe.* Sect. XXI. quærit, quomodo Dii illi, quorum mentionem facit *Plato in Timæo, orti ſint?* Dixi in *diſſert. mea*, deos illos eſſe Solem, Lunam, imo etiam Dæmones. Vocantur Θεοι γεννητοι. Quomodo *Platonis* Deus vaſtiſſima illa corpora exornare potuerit, dicam, quamprimum Cl. Vir mihi explicat nexum, qui intercedit inter ſubſtantiam ſpiritualem & corpoream. Hoc ſcio, *Platonem* adſeruiſſe, Deos illos a mente nobiliſſima fuiſſe factos, & imperio ejus obnoxios. Sect. XXII. rurſum quærit, quid ſit *generari?* Dicam. *Plato*, ut ex *Timæo Locro* audivimus, materiam tanquam *matrem*, τον νουν inſtar *Parentis alicujus deſideravit.* Quamprimum igitur Deus, tanquam *nobiliſſima mens*, aut νους *ipſe materiam* hactenus confuſam, *in ordinem redigit*, dicitur Platoni *mundus generari.* Quod ſi, miſſis hisce, urgere vellem vocem γενναν, facillime probarem, potius ea denotari *creationem*, quam rei jam exiſtentis productionem.

nem. Sect. XXIII. probare vult, animam mundi eſſe ἀποσπασμάιον quoddam *eſſentiæ divinæ.* Provocat *ad locum Platonis, qui extat p. 710.* verſ. *Ficini; Eum autem attuliſſe, refutaſſe eſt.* Sonat autem ita. *Ille vero tam generatione, quam virtute priorem antiquiorem animam corpore conſtituit, utpote quæ obedienti corpori eſſet imperatura. Ex his videlicet, atque hoc pacto. Ex ea ſubſtantia, quæ individua & ſemper eadem ſimilisque eſt, & ex ea, quæ circa corpora dividua fit, tertiæ ſubſtantiæ ſpeciem commiſcuit mediam, quæ rurſus eſſet naturæ ipſius ejusdem, & naturæ ipſius alterius particeps, eamque per hæc mediam conſtituit inter individuam ſubſtantiam & eam, quæ circa corpus dividitur. Ea cum tria ſumpſiſſet, in unam ſpeciem omnia temperavit. Quid inde concludat Gundlingius,* audi. *Tali igitur modo infuſa eſt anima mundo toti, quæ Spiritus eſt divinitatis ipſeque Deus.* Sed quis non videt, nullum hujus *conſequentiæ veſtigium* in hoc loco eſſe? nimirum anima mundi ex re corporea & ſpirituali contemperata fuit a Deo, Ergo prodiit, vel emanavit e ſinu Dei, ut pars a toto. Quis dubitet? Ut nihil jam dicam, in ſequentibus *Platonem* aperte ſatis ſignificare, hanc *animam tan-*

quam Creaturam (*) prorſus a Deo *diverſam*, ejusque obnoxiam Imperio conſiderandam. Pag. 711. verſ. Ficini ita loquitur: *Poſtquam igitur ſecundum Creatoris illius mentem tota animæ conſtitutio abſoluta fuit, mox omne corporeum intra ipſam affinxit, mediumque mediæ accommodans, apto modulamine copulavit; & paucis interjectis: & corpus quidem cœli ſpectabile factum eſt, anima vero oculorum effugit obtutum, rationis & modulaminis compos ab auctore ſuo omnium, quæ ſemper ſunt & ad intelligentiam pertinent optimo*, ipſa *quoque optima omnium, quæ genita ſunt, effecta.* Nemini ſane, niſi aliunde jam præconceptis opinionibus imbuto, in mentem veniet, hanc animam divinæ eſſentiæ partem eſſe, ab illa divulſam. (**)

Sect.

(*) Senſu Platonico.

(**) Perſpicue de hac materia loquitur Doctiſſimus Porphyrius περι ἀποχης pag. m. 80. ὁ μεν πρωτος θεος ἀσωματος τε ὢν και ἀκινητος και ἀμεριστος, και οὐδε ἐν τινι ὢν, οὔτε ἐνδεδεμενος εἰς ἑαυτον, χρηζει οὐδενος των ἐξωθεν, ὡσπερ εἰρηται. οὐ μην οὐδ' ἡ του κοσμου ψυχη. ἐσχουσα μεν το τριχη διαστατον και αὐτοκινητον ἐκ φυσεως, προαιρεισθαι δε πεφυκυα του καλως και ἐυτακτως κινεισθαι και κινειν το σωμα του κοσμου κατα τους ἀριστους λογους. δεδεκται δε το σωμα εἰς ἑαυτην και περιειληφε, καιπερ ἀσωματος οὐσα. και παντος παθους ἀμετοχος. i. e. Deus ſupremus incorporeus cum ſit, & immobilis & indiviſibilis, nec in aliquo

Sect. XXVI.

Ut autem *Cl. Gundling* per partes probet, tria illa principia Platonis Θεον, νων ſeu λογον, & animam mundi inter ſe conjuncta, & arctiſſimè materiæ alligata eſſe, Sect. XXIV. probare primo contendit, τον νων, ſeu λογον Platonis progeniem eſſe Dei, ſeu effluxiſſe & emanaſſe a primo: *A ſummo Deo &* ἀνυσιῳ inquit, *ſupraeſſentiali mens venit, ſicuti a mente illa anima mundi egreſſa eſt.* Et paucis interjectis ita argumentatur: *Aut mens illa & Opifex ſummus erit Deus, aut non. Si prius, ſat erit probaſſe, animam mundi eſſe decerptum iſtius, ſin ſubſtantia nova, cauſa ſane ejus erit, unum illud* ἀνυσιον, *quod nominari ac percipi nequit. Si hoc, quomodo igitur orta eſt mens? utrum ex nihilo, an ex ſummo illo Divinitatis ſinu?* Provocat ad Philebum *Platonis* pag. 90. verſ. Ficini, *in quo*

quo exiſtens, nec in ſe ipſum aſtrictus, nulla re, quæ extra illum eſt indiget, ut diximus: ſed nec anima mundi: triplicem quidem habens diviſibilitatem, & poteſtatem a natura ſeſe movendi, ita tamen ab eadem facta, ut eligat bene & ordinate moveri, & mundi prolem ſecundum rationes præſtantiſſimas concitare. Sibi autem corpus adſcivit, & circumdedit, licet incorporea ſit, & nullius paſſionis particeps.

quo Socrates: τῇ δε γε ἐμῇ Ζητησει πεπορικως ἀπο κρισιν, ὁτι ἐςι γενεσης των παντων αἰτιε λεχθεντος των τετταρων, ὡν ἠν ἡμιν ἐν τετο, *i. e meæ vero petitioni responsum porrigit, quod mens est progenies quædam ejus causæ, quæ causa dicitur omnium, quæque est ex quatuor istis, quæ relata sunt, unum quiddam. Ubi autem progenies,* ita concludit *D. G. ibi generatio,* & *generatio sine effluentia concipi nequit, quia creatio ex nihilo vanescit. Resp. 1. de* λογῳ seu secundo principio diversimode ratiocinantur Plato & discipuli. *Aliquando* τον νεν tanquam aliquid per *se subsistens, æternum*, considerant, æque ac την ὑλην seu materiam; *aliquando* illam mentem, *originem suam* a Deo habere, gradibusque perfectionis tantum a primo Ente distinctam esse perhibent. *Aliquando Deo soli* Imperium in omnia adscribunt; Mox tamen λογον illum tanquam Parentem omnium, quæ κατα λογον facta sunt, inducunt. Adeo ut tuto ex hisce ratiocinari non liceat. 2. Ponamus autem cum D. G. τον νεν esse progeniem mentis divinæ, nondum inde sequitur, ergo locum habet proprie dicta *effluxio* (*), *emanatio, partium*

(*) Quæ scilicet partium evolutionem & cum alio com-

tium a partibus separatio, de quo tamen quam maxime quæstio est. Vocem γενναν de rebus divinis usurpat Plato, & sine dubio locutus est de rebus, quarum perspicuas notiones minime habebat: hoc certum, quod licet nonnunquam adserat, difficile esse naturam Dei invenire, eum ἀνȣσιον, & supra omnes, uti in Scholis loquuntur, categorias evectum, *semper tamen intelligentis* & perfectissimæ naturæ Deum esse tueatur. In Timæo p. 528. ait: ȣ̓τως δη πας ὀντως ἀει λογισμος Θεȣ — λογισθεις, *hæc omnis vere existens ratiocinatio Dei — ratiocinata. In Epinomide* vero pag. 702. λογον adpellat, ubi de mundo, ὁν ἐταξε λογος ὁ παντων Θειοτατος ὁρατον, ut de aliis locis, quæ supra adtuli, nihil dicam: at hoc posito

communicationem, vi vocis proprie sumtæ indicat. Talem enim emanationem, quæ materialitatem in Deo supponit, admisisse & statuisse Platonem, supponit semper V. C. non probat, nisi per circulum. Quod si vero emanatio sensu latiore sumta, indicet tantum essentiæ communicationem, naturæ rei convenientem, & ita nihil amplius dicat, quam æternum Patrem ex se, modo spirituali produxisse Mentem, tunc admitti quidem ista vox potest, cadunt vero objectiones D. Gundlingii, quia nec inde ulla in Deo materialitas, ut ita dicam, evincitur, nec essentiæ communicatio hypostasin propriam αὐτὴν καθ' αὐτὴν, quæ Platonis locutio est, excludit: Certe ex mente Platonis excludere non potest.

poſito quæritur; quomodo generatio quædam in divinis locum habere poſſit ſine effluxione, & intellectualia ab intellectualibus oriri. 3. Igitur attendamus ad ipſam mentem noſtram, cum omnes noſtræ ratiocinationes de Deo repetitæ ſint ex iis, quæ in mente noſtra deprehendimus. Cognoſcimus autem naturam mentis noſtræ potius ex intimo quodam ſenſu, quam perſpicuâ notione animo obverſante. Idearum circa mentem perpetuus quidam fluxus, ſeu itus & reditus eſt; utrum illæ â mente oriantur nec ne, & quomodo inſint menti, prorſus ignoramus. Videntur quidem omnes ideæ ope voluntatis noſtræ, vel certe non ſine ea, progenerari, ſed quomodo intercedente voluntate illæ accedant, denuo neſcimus. Quod ſi jam ad Deum convertamus oculos mentis noſtræ, tanti Numinis Majeſtate animus abſorbetur. Quomodo mens illa nobiliſſima cogitet, imaginetur, ratiocinetur; quomodo omnium rerum præſentium, præteritarum, futurarum, contingentium, neceſſariarum, præſentiſſimas ſemper habeat notiones, ignoramus. Neſcimus, quomodo poſitâ voluntate Dei, omnia & orta ſint, & conſerventur. Verbo, natu-

ram

ram DEI introſpicere mortalium non eſt. Quem in finem, inquiet *D. Gundling.* hæc adferuntur? Dicam. Ex his ſequitur, nos prorſus neſcire, quomodo a Deo aliquid oriri poſſit, ſequitur, temerarium eſſe, definire, a Deo, & ex Deo, nihil oriri poſſe, quam per emanationem proprie dictam & fluxum. Mallem ego in hac parte meam confiteri ignorantiam. *Sed Plato*, ait, *tanquam Philoſophus hæc explicare voluit.* At ego dico: primo, nos ignorare, quæ ad ſententiam ejus rite intelligendam facere poſſent, cum & ipſe & diſcipuli variè rem explicent. *Secundo* non Plato tantum, ſed & nos, qui meliora edocti ſumus, nihil hac in re certi poſſumus definire, ob rei ipſius obſcuritatem. *Theologi Chriſtiani* olim & nunc locuti ſunt *de æterna quadam generatione filii*, nemo tamen modum ſe explicare poſſe contendit. Dicet, hoc *myſterium eſſe.* Non nego; ſed nulla tamen proprie dicta emanatio, nullus fluxus locum habet, ſed intellectualis quædam, & ineffabilis, ſecundum eos generatio eſt. Non ignoramus, quid ſit alias generare, ſeu quid hoc vocabulo denotetur; ſed cum de divinis ſermo eſt, phraſes illæ rite rei, quam ignoramus, aptari non poſſunt;

Plato

Plato quidem non tanquam myſteria cælitus revelata propoſuit, hactenus tamen res eodem recidit. Si enim vere putavit, λογον a Deo ortum, non magis rem illam explicare potuit, quam nos generationem æternam filii Dei. Debuiſſet, verum eſt, hæc tanquam Philoſophus perſpicue explicare aut tacere: ſed quis ignorat, non minus *Philoſophos* aliquando, quam alios *loqui de rebus, quas minime intelligunt.* * *Quarto:* Quicquid tandem ſit de λογω & ejus origine, nulla ratione probari poteſt, proprie dictam emanationem locum habere. Deus enim ex mente Platonis nunquam tanquam Ens aliquod extenſum, fluidum deſcribitur. Neque etiam vox γενναν ultra modum hic urgeri poteſt. *Theologi veteres* cum de *ineffabili myſterio Trinitatis* locuti ſunt, voce ἀποῤῥοιας frequenter uſi ſunt, diligenter tamen cavendum eſſe injunxerunt, ne lectores ſibi perſuadeant, *emanationem*

(*) Accedit, quod Plato ingenio quam judicio excellentior, ideas rerum claras & diſtinctas non tantum ſibi ipſi non formaverit, ſed & occultandi tam difficilem doctrinam ſtudio obſcurius ſubinde rem expreſſerit, ſibi ipſi quidem haud raro non conſtans; unde ex hac re argumentum ſumi non poteſt.

tionem proprie ſic dictam locum habere. Juvat hoc teſtimoniis quibusdam probaſſe, quæ magno numero apud *Petavium, Huetium, Bullum,* inveniuntur. Athanaſ. Lib. de Decretis pag. 409. inquit: *Aliter ſe habet hominum generatio, aliter filius a Patre oritur. Etenim progenies hominum partes ſunt quodammodo gignentium. Quoniam natura ipſa corporum non eſt ſimplex, ſed fluida & ex partibus compoſita: effluuntque cum generant homines: & viciſſim, cum aluntur, cibi in eos & potus influunt, quam ob cauſam multorum per tempora filiorum Patres fiunt homines.* Ὁ δε Θεος, *inquit*, ἀμερης ὢν ἀμεριςως ἐςι, καὶ ἀπαθης τȣ ἡȣ πατηρ. ȣ̓τε γαρ ἀποῤῥοη τȣ σωματος ἐςιν, ȣ̓τ' ἐπιῤῥοη τις ἐις αὐτον γινεται. Eodem loco pag. 410. *Theognoſtus* filii generationem explicaturus ait: ἀλλα ἀποῤῥοια της τȣ πατρος ȣ̓σιας, ȣ̓ μερισμον ὑπομεινασης της τȣ πατρος ȣ̓σιας. i. e. *Sed effluxio eſt ſubſtantiæ Patris, non ut diviſionem paſſa ſit Patris ſubſtantia. Euſebius in Epiſtola de Synodo Nicæna apud Socrat. Eccleſ. Hiſt. Lib. 1. cap. 8. Cum hæc ab illis dictata eſſet formula* (nempe formula, quæ hodie Symbolum Nicænum dicitur,) *id quod ab illis dictum erat, ex Subſtantia Patris & Conſubſtantialis, non absque examine prætermiſimus. Hinc*

igitur variæ quæstiones ortæ sunt, & responsiones: & quænam esset eorum verborum sententia, accuratè expendebatur. Και δη και το εκ της ουσιας ωμολογηθο προς αυτων, δηλωτικον ειναι τε εκ μεν τε πατρος ειναι, ου μην ως μερος υπαρχειν τε πατρος. Ταυτα δε και ημιν εδοκει καλως εχειν συγκαταθεσθαι τη διανοια. i. e. *& has quidem voces, ex substantia, fassi sunt hoc significare, filium quidem esse ex Patre, sed non tanquam partem ipsius Patris. Hunc sensum ut nos quoque amplecteremur, æquum omnino videbatur.* Supra in eadem Epistola dixerat *Eusebius*, ipsum *Constantinum Episcopis quibusdam de vocabulo Homousii quærentibus* satisfeciisse his verbis: ὁτι μη καλα τα των σωματων παθη λεγει το ὁμοουσιον, ὑτε ἐν κατα διαιρεσιν, ὑτε κατα τινα ἀποτομην ἐκ τε πατρος ἀποσχηναι. μητε γαρ δυνασθαι την ἀϋλον καὶ νοεραν και ἀσωματον φυσιν σωματικον τι παθος ὑφιζασθαι. Θειοις δε και ἀποῤῥητοις ῥημασι προσηκει τα τοιαυτα νοειν. i. e. *Consubstantiale a se dici, non juxta corporum affectiones: neque per divisionem, aut per Sectionem quandam filium ex Patre subsistere. Fieri enim non posse, ut materiæ expers natura, intellectualis atque incorporea, corpoream ullam affectionem admittat: Sed divinis arcanisque rationibus id esse intelligendum.* Hinc *doctissimus Bullus* defens. Fid. Nic. p. 197. post-

poſtquam *Origenem* contra *Illuſtrem Huetium* defendiſſet, quid ſimilitudine *Solis & radiorum*, qua frequenter utebantur veteres, denotare voluerint, ita explicat: *Verbo dicam, Origenes aliique Catholici Patres, ſimile illud Solis & radii, lucis & ſplendoris uſurpantes, hæc tantum ſignificare voluerunt, neque aliud quicquam ipſis in mentem venit. 1. Patrem eſſe* πηγην θεοτητος *fontem divinitatis, quemadmodum Sol fons eſt ſplendoris ex ipſo emiſſi. 2. Filium eſſe ejusdem naturæ ac ſubſtantiæ, cujus eſt Pater: utpote de ipſa Patris eſſentia genitum, ut lumen ex lumine manat. 3. Filium neutiquam a Patre ſuo diviſum ac ſeparatum exiſtere, quemadmodum nec radius a Sole, nec ſplendor a luce disjungitur. 4. Denique filium ſine alteratione & diminutione divinæ eſſentiæ ex Patre naſci. Equidem hos animi noſtri conceptus de adoranda generatione filii Dei, mirum in modum adjuvat ſimilitudo iſta, unde & Patribus Nicænis in ipſa confeſſione ſua adhibita fuit.* Placuit eadem comparatio *Reverendiſſimo in Chriſto Patri, Tillotſonio, viro ut aliis Dotibus & Virtutibus præcellentiſſimo, ſic acuto præprimis & perſpicaci.* Is enim in *Sermone 45.* de *divinitate Jeſu Chriſti* Tom. 6. Ed. Gall. pag. 29. & ſq. ita loqui-

tur de Servatore noſtro: *il etoit Dieu, en ce qu'il participoit a la Nature & a la felicité divine, conjointement avec le Pere, & en ce qu'il procedoit du Pere comme la lumiere procede du Soleil Je me ſers de cette comparaiſon aprez les Anciens Peres de la primitive Egliſe, & peutetre eſt cela plus propre a expliquer le Myſtere: Car il ne faut pas ſe mettre dans l'eſprit de trouver parmi des Etres finis aucune reſſemblance exacte avec ce qui eſt infini & par conſequent incomprehenſible. La choſe eſt impoſſible, parte que tout ce qui eſt, infini eſt par cela meme au deſſus de la portée d'une intelligence finie & quiconque voudra l'entreprendre, s'appercevra bien-tot qu'il ſe perd dans cet abyme.* (*) Ex adductis locis patet, veteres voce ἀπορροιας *lucis, radii &c.* uſos, dum de æterna filii progeneratione locuti ſunt, interim tamen *omnem emanationem proprie dictam* longiſſime removiſſe, quia cum Intellectuali & præſtantiſſima Dei natura ejusmodi emanatio conſiſtere minime poſſit. Quod ſi igitur Plato vel maxime τον λογον *Dei progeniem* eſſe dixiſſet, nondum tamen probatum eſſet, *fluxionem* aliquam, aut *partium ſeparationem*

(*) Paria paſſim Theologi, & Commentatores ad Ebr. l. 3. inculcant.

tionem hic locum habere, niſi aliunde clariſſimis teſtimoniis probaretur, Deum Platonis Ens aliquod fluidum eſſe, & ex partibus compoſitum. Cæterum locus, ad quem provocat Gundlingius, potius probat, mentem noſtram progeniem eſſe Dei, quam τον λογον. Extat is pag. 161. Ed. Græc. Baſil. ubi poſtquam ſub Perſona Socratis diu diſputavit *Plato*, quod corpus noſtrum ex univerſi corpore ſit decerptum, eadem aſſerit de anima, & ex Protarcho quærit: Το παρ' ἡμιν σωμα ἀρ' ἐ ψυχην φησομεν ἐχειν; Cui Protarch. Δηλον ὁτι φησομεν. Tum Socrates: ποθεν, ὠ φιλε πρωταρχε, λαβον, ειπερ μη τογε τε παντος σωμα ἐμψυχον ὀν ἐτυγχανε ταυτα γε ἐχον τετω, και ἐτι καλλιονα; Cui mox ille: Δηλον ὡς ἐδαμοθεν ἀλλοθεν, ὠ Σωκρατες. i. e. *Nonne affirmabimus, noſtrum corpus habere animum? perſpicuum ſane eſt. Unde vero, mi Protarche, aliunde ſuſceperit, niſi illud univerſi corpus animatum ſit? quippe quod hæc eadem ipſa habeat, quæ corpus noſtrum, & præſtantiora etiam? manifeſtum, quod nequaquam aliunde.* Hinc paucis interjectis pergit Socrates: *Quamobrem*, inquit, *rationem illam ulterius perſequentes licebit aſſerere, ea quæ ſæpenumero diximus, infinitum prorſus in hoc univerſo conſiſtere, ſufficientemque terminum*

cauſamque illis haud ignobilem ſemper adeſſe ornantem diſponentemque horas, & menſes, & annos, mentem & ſapientiam merito nuncupatam. Pro. *Merito.* Soc. *Sapientia vero ac mens absque anima nunquam ſunt.* Pr. *Nunquam certe.* Socr. *Ergo in Jovis ipſius natura regiam animam regiamque mentem ineſſe propter vim cauſæ fateberis, & in aliis item alia pulchra, ut illorum cuique dici placet.* Pr. *Maxime.* Socr. *Præcedentem, Protarche, ſermonem nequaquam temere inductum putes: his enim, qui olim mentem omni mundo præſidere oſtenderunt, adminicula præbet.* Pro. *Præbet ſane.* Soc. *Meæ vero petitioni reſponſum porrigit, quod mens eſt progenies quædam ejus cauſæ, quæ cauſa dicitur omnium, quæque eſt ex quatuor his, quæ ſunt relata, unum quiddam. Habes jam noſtram expoſitionem.* Ex hoc loco patet, Socratem ex antecedentibus concludere, quod, quemadmodum mundus eſt animatus, ſic etiam corpora noſtra mentem ſapientiamque a Deo accepiſſe. Quod ſi tamen de λογῳ ſermo eſſet, idem tamen locus doceret, originem ejus *nonniſi intellectuali ratione* intelligendam, cum Dei naturæ regiam animam, regiamque mentem ineſſe perhibeat.

Sect.

Sect. XXVII.

Jam progreditur D. *Gundling.* ad animam mundi, probaturus, eam itidem ex 2. principio emanasse. *Num vero mundi anima*, inquit *Sect. XXVI. e mente divina sit coorta, tanto minus dubitari potest, quanto certius constat, eam participare mentem: quæ participatio sine emanatione profecto concipi non potest.* Provocat ad locum Timæi. *Nam cum de illo*, inquit, *Demiurgo, qui est* νȣς *verba fecisset, ostendit is quoque, quemadmodum mundi anima sit ab ipso, tanquam* συναιτιον, *Genita.* Ψυχην δε ἐις το μεσον ἀυτȣ θεις, δια παντος δε ἐτεινε και ἐτι ἐξω το σωμα ἀυτη περιεκαλυψε, και κυκλω δη κυκλον ςρεφομενον ȣ̓ρανον ἑνα μονον ἐρημον κατεςηκε. i. e. *animum autem ut in medio ejus collocavit, ita per totum tetendit. Deinde eum circumdedit corpore, & vestivit extrinsecus, cœloque solivago & volubili & in orbem concitato complexus est.* Ita D. G. Si concederem, animam mundi a mente originem habere, quod Juniorum Platonicorum adsertum est, nihil tamen hoc faceret ad thesin Cl. Viri adstruendam. Probare vult, animam mundi effluvium aliquod esse divinæ naturæ, *proprie ita dictum.* At *mera suppositio* est, Deum Platonis constare

ex materia fluida: *mera ſuppoſitio* eſt, λογον principium aliquod eſſe ex partibus compoſitum. Si igitur anima mundi orta eſt ex 2. principio, nonniſi eâ ratione oriri potuit, quæ conveniens eſt naturæ hujus principii. At *Platonici omnes* conſentiunt, τον λογον intellectuale principium eſſe. 2. Locus ille ex Timæo adductus nihil probat. Si *antecedentia & conſeq.* adduxiſſet *Cl. Vir*, omnes perſpexiſſent, nec de 2. principio ſermonem eſſe; neque etiam dici, animam illam mundi ex mente vel Deo emanaſſe. Locus extat pag. 478. proxime præcedunt hæc verba: ἐτος δη πας ὀντος ἀει λογισμος Θεε περι τον ποτε ἐσομενον Θεον λογισθεις, λειον και ὁμαλον, πανταχη τε ἐκ μεσε ἰσον και ὁλον και τελεον ἐκ τελεων σωματων, σωμα ἐποιησε. i. e. *cum hæc igitur Deus ille, qui ſemper eſt, de aliquando futuro Deo cogitaret, lenem eum effecit, æqualemque, & a medio ad ſummum uſque parem, corpusque ex corporibus totis & perfectis totum atque perfectum.* Poſt hæc verba immediate ſequuntur, quæ citavit D. G. ſequuntur autem hæc: *Ita omnibus his de cauſis Opifex ejus beatum Deum effecit: Sed animam haud ita, ut modo dicere cœpimus, tum denique cum corpus ei effeciſſet, procreavit.* Ex hoc loco clariſſime patet, Deum,

Deum, primam illam mentem, fabricaſſe mundum ; illum & animam quidem mundi ab eodem mundo inſertam eſſe, ſed minime ex eſſentia divulſam fuiſſe. Altum etiam hac de re ſilet T. Locrus, qui ſane hic minime negligendus eſt. 3. Si cum Platonicis tria principia ſtatuamus, quorum ſecundum a primo, tertium a ſecundo, ortum ſit, quæque inter ſe gradibus perfectionis diſtincta ſint, tum ne hoc quidem juvat *D. Virum. Primum* enim a Platone & ſequacibus ſemper deſcribitur tanquam perfectiſſimum, eminentiſſimum, & quod ſupra omnem intelligendi vim poſitum eſt. *Secundum* ſemper tanquam νοατον παραδειγμα. *Tertium* ex dividuo & individuo compoſitum, tanquam cauſa omnia fœcundans. Nullibi autem Plato, trium illorum principiorum originem *perſpicie explicuit.* Interim cum aliunde notum ſit, Deum & λογον in ſyſtemate Platonis ſemper principia quædam νοερα denotare, animum ab omnibus rebus, quæ in ſenſus cadunt, revocare debemus, neque quicquam ei imputare, quam quod vel *diſerte* profeſſus eſt, aut per *evidentiſſimam conſequentiam* ex principiis ejus ſequuntur. Sed animam illam, inquit, θεον γεν-

νησομενον *vocavit.* Sit ita. Et mundum non ſemel ita appellavit in Timæo, conſtat tamen, materiam a Deo ſecretam fuiſſe, nec e ſinu ejus expulſam. Θεος dicitur illa anima, quia non ſolum ex re corporea, ſed & ſpirituali compoſita eſt. *Sed expandit ſe illa anima,* inquit. Ita eſt. Sed ſupra jam obſervavimus hanc animam ex dividuo & individuo neſcio quomodo contemperatam eſſe: quæritur igitur, utrum ipſa quatenus intelligibilis eſt, proprie loquendo dici poſſit fluere, ſe ſe expandere. Ex natura ejus, quatenus νοερον τι, hoc minime ſequitur. (*) Si a mente originem habet, nec ſic

(*) Porphyrius, Platonicæ Philoſophiæ peritiſſimus, ſentent. XXIV. ita de hac materia loquitur, ex verſione Holſtenii: omne genitum ab alio generationis cauſam habet, ſiquidem nihil ſine cauſa producitur. Quæcunque autem rerum genitarum per compoſitionem eſſentiam ſuam obtinent, utique eam ipſam ob cauſam ſunt corruptibilia. Quæcunque vero ſimplicia & incompoſita, in ſimplici ſubſiſtentia eſſentiam ſuam habent, cum ſint indiſſolubilia, ſunt etiam incorruptibilia. Genita vero dicuntur, non quod compoſita ſint, ſed quia ab aliqua cauſa dependent. Corpora igitur bifariam ſunt genita; cum quatenus a cauſa producente dependent; tum quatenus compoſita. Sed anima & intellectus genita ſolummodo, quatenus à cauſa dependent; non autem ut compoſita: quocirca corpora quidem genita

ſic expanſioni locus. Quatenus corpore induta eſt, hoc efficere poteſt. Vero enim quam maxime ſimile, animam illam mundi vehiculo quodam corporeo veſtitam, uti omnes poſſit mundi pervadere partes. (**) Quod ſi *Timæum Locrum* legamus, non prorſus evanida hujus rei veſtigia adparent: cum enim pag. 656. de anima humana loquitur, ait: τας μεν γαρ ἀνθρωπινας ψυχας το μεν λογικον ἐϛι και νοερον, το δ' ἀλογον και ἀφρον. Τω δε λογικω το μεν κρεσσον, ἐκ τας ταυτο Φυσιος. To

genita & ſolubilia & corruptibilia. Sed hæc ingenita quidem, tanquam incompoſita, & proinde etiam indiſſolubilia ac incorruptibilia: genita autem, ut dependentia a cauſa.

(**) Premebant non Platonem tantum, ſed & eos, a quibus hoc dogma accepit, omnino difficultates, qua ratione τὸ νοερὸν per omnes partes materiæ ſe diffundere, easque permeare poſſit. Cui tollendæ Plato animæ mundi naturam non ex individuo tantum, id eſt, intellectuali, ſed dividuo quoque, id eſt materiæ, aliquid dedit, quod Plutarchus de κοσμογονια Platonis manifeſte fundamentum ponit. Zeno vero, qui & hac ratione difficultates augeri, non minui cernebat, ad principium mere materiale confugit, Deumque fecit non tantum cum anima mundi prorſus eundem, ſed re ipſa quoque materialem, ignem ſcilicet puriſſimum & ætherium: quo quidem iſtas difficultates evitavit, ſed in majores errores & ἀσύϛατα in natura Dei deſcribenda delapſus eſt.

Το δε χερειον εκ τας τω ετερω. i. e. *nam humanæ animæ altera pars rationis eſt particeps & intelligens: altera rationis expers atque inſipiens. Ejus vero quæ rationis eſt particeps, melior potiorque pars de ejusdem natura eſt: deterior vero, alterius.* Pag. autem 548. ſimili modo de animæ mundi origine loquitur. Ex quo patet, animam mundi, quatenus tenui quodam vehiculo induta eſt, aptam eſſe ad celerrimas operationes in corporibus efficiendas, unde tamen minime infertur, ipſam *quatenus νοερον τι eſt*, fluxui etiam & diviſioni obnoxiam eſſe. *Sed* (ita porro pergit) *ita Deus tamen ſeſe expandit.* Nego, ſi Dei nomine primum aut ſecundum principium intelligas. Utrumque enim nec ex partibus conſtat, nec cum anima mundi neceſſario copulatum. Concedo, ſi tertium intelligatur. Nec nobis obſtat, vocabulum Θεος, nam & Diis, Dæmonibus, aſtris, terræ, mundo hoc tribuitur, unde tamen nemo jure concludat, eandem poteſtatem & vim illa habere, quam habet Deus ſummus. At ſecundum tamen principium a primo, tertium a ſecundo ortum eſt. Jam dixi in Platone & Locro perſpicua teſtimonia vix reperiri. Sed pone tamen hoc ita eſſe. *Probandum,*

dum, ego inquam, tria illa principia nonniſi *mentis quadam præciſione diſtincta*, aut *tanquam partes ſolidas a ſe diſtincta*: Probandum, plane contradictorium & impoſſibile eſſe, aliam in divinis gradationem dari, quam quæ per effluxum & partium ſeparationem fit. Ipſemet Cl. Vir pag. 217. ait, *ex re incorporea nihil effluit, vel ſi aliquid gigneretur, & permanaret, iſtud itidem ſimile.* At nullo ullibi teſtimonio probavit, Deum ex mente Platonis principium fluxum eſſe. Ergo ſi principia illa tria a ſe orta ſunt, per fluxionem id factum non eſt: emanationes ergo hoc ſenſu nullam impietatem involvunt. Eadem tamen pag. 217. *verba mea turpiter detorquet.* Pag. 887. ſq. Diſſertat. meæ dixi: *Non quamlibet conjunctionem Dei cum mundo Spinoziſmum involvere. Mea opinione* (ita verba mea ſonant) *vel præſtantiſſima modernorum Philoſophorum Syſtemata, purum putum Spinoziſmum involvere dicenda eſſent, ſi NB. liberrima Dei conjunctio cum materia id probaret. In Syſtemate Chriſtianorum conjunctio quædam Dei cum mundo locum habet, ſed minime neceſſaria, libera vero quammaxime. Conjunctionem autem ibidem in eo conſiſtere dixi, quod Deus ſecundum quasdam leges, in materiæ naturæ haud*

funda-

fundatas, mundum gubernet, imo continua quadam, nec interrupta conſervatione, eum ita ſuſtineat, ut in antiquum Chaos, aut Nihilum potius, relabi non poſſit. Ille vero ait, me dixiſſe, quod etſi Deus cum materia conjunctus foret, nondum tamen ſequi Atheiſmum. Sect. XXX. pergit conſequentias ex principiis nondum probatis nectere. *Ea vero differentia*, inquit, *ut una res ſit prima, altera ſecunda & ſic porro, an contenti eſſe poſſint homines acuti & harum rerum periti, equidem vehementer dubito. Sed fac contentos, erit tamen pars Divinitatis ſat magna communicata cum anima mundi, quæ ſe in omnes oras cœli, tum terræ expandit, atque ubique invenitur vario habitu conſpicua.* Reſp. primò, non quæritur, utrum viris acutis ſatisfaciat Platonis illa cogitatio de tribus principiis eorumque gradatione; præſtitiſſet ſine dubio, ſi de iis, quæ non intellexit, ſilentium tenuiſſet; Sed quandoquidem Plato, uti cæteros ſapientia ſuperare videatur, de tribus hiſce principiis locutus eſt; quæritur tantum, quomodo illa explicanda. 2. Confitemur igitur, animam illam mundi a Deo originem habere, licet nec *Plato*, nec T. *Locrus* diſtincte modum tradant originis illius. Communicatio illa divini-

divinitatis, ut ſupra diximus, nobis ignota eſt. Cl. Vir fluxum, emanationem, ſupponit, ſed non probat. Probandum nempe, animam illam mundi proprie loquendo partem eſſe divinitatis, (*) adeo ut neceſſario ſequatur, Deum ipſum cum omnibus plantis, animalibus, conjunctum eſſe. Hoc autem vel *ex ſecundi principii natura* repetendum, *vel demonſtrandum*, in rebus *intellectualibus*, nullam emanationem (liceat hoc vocabulo uti) locum habere poſſe, præter eam, quæ per partium fit ſeparationem. *Poſterius* hoc probari non poteſt; *neque prius*; omnibus enim teſtimoniis veterum repugnat, τον λογον eſſe principium fluxum, expanſum. 3. Si igitur anima illa mundi omnes cœli terræque partes pervagatur, nondum ſequitur, Deum aut ſecundum principium idem facere, aut Deum ipſum cum rebus confuſum eſſe. Imo nequidem probari poteſt, animam illam mundi unam fieri cum corporibus, quæ fœcundat, ſubſtantiam. Illa enim operatio in corpora nondum efficit commixtionem cum iis.

(*) Et ita quidem, ut pars ſit totius, & non niſi in toto ſubſiſtat. Nam hoc infert una ſubſtantia Spinozæ.

iis. Deus ſingulis momentis omnia conſervat, nec ideo tamen ulla ratione cum creaturis commiſcetur. Adverſantur etiam Platonici ipſi. *Plotinus Ennead. II. Lib. 2. cap. 1. p. 108.* ἡ γαρ φυσις, το ὑπο ψυχης ἁπασης ταχθεν, ἐτι πανταχȣ ȣ̓σα ἡ ψυχη ὁλη, και ȣ̓ διει λημενη, ἡ τȣ παντος κατα μερος, διδωσι και τῳ ȣ̓ρανῳ, ὡς δυναται πανταχȣ ἐιναι. i. e. *Id namque ipſum natura eſt, quod ab anima univerſi eſt ordinatum; Præterea mundi anima ubique exiſtens, non diviſa per partes, ſed ubique tota, dat & cœlo, ut & ipſum, quoad poteſt, ſit ubique. Vide eundem Ennead. II. Lib. IX.* cap. 7. pag. 205. *Ennead. III.* Lib. I. c. 10. p. 230. Clariſſima ſunt ejus verba Ennead. IV. Lib. IV. c. XI. p. 405. ȣ̓ γαρ δη, ὁτι ποικιλα και διαφορα τα γινομενα, δει συνεπομενον ταις τȣ γινομενȣ μεταβολαις, και το ποιον ἡγεισθαι. ὁσω γαρ ποικιλα τα γινομενα τοσȣτω το ποιȣν ὡσαυτως μενον. i. e. *non enim ex eo, quod varia ſunt & diverſa, quæ fiunt, putandum eſt, etiam Effectorem cum ipſis eorum, quæ fiunt, mutationibus habere communionem. Quatenus enim varia ſunt quæ fiunt, eatenus effector ipſe eodem tenore conſiſtit. Neque igitur vel argumentis vel teſtimoniis probari poteſt, animam mundi omnia corpora pervadentem in unam cum corporibus coaleſcere ſubſtantiam,*

tiam, nedum ut hoc Deo, nobiliſſima mente, dici poſſit. (*)

Sect. XXVIII.

Eadem quidem de fluxu & emanatione principiorum illorum repetit, Sect. 30. & ſequentibus. Sed cum locus nullus adducatur, non juvat idem ſemper repetere. Sect. XXXIV. non ſine indignatione docet, ſe poſtulare, ut qui alium ab Atheiſmo abſolvere vult, probet, accuſatum *cauſam externam* admiſiſſe, quæ a rebus productis diverſa ſit. Probavi autem, ni fallor, id ipſum, & in diſſertat. mea, & in his ipſis vindiciis. Licet enim Deus Platonis materiam non *creaverit*, ſed *exornaverit* tantum, poteſt tamen dici *Cauſa efficiens mundi*, æque ac faber, qui fingit ex materia inſtrumentum. Sed acrius inſtat *Illuſtris Vir.* Sect. 35. quærit ex me, quomodo Deus ille Platonis cuncta formare potuerit. *Permittam tibi*, inquit, *pauliſper, materiam Platonis extitiſſe ab æterno: Dabo, illam non fuiſſe animatam, ſed immotam, ſed aptam pa-*

(*) Conferantur ad hanc Sectionem Eruditæ annotationes Cl. Clerici ad Hebræos cap. 1. v. 3.

ti tantum; modo ediſſeras, qua ratione igitur ſit formata, animata? An Deus illam adtigit? quibus inſtrumentis eſt uſus? quibus dolabris? Ex nihilo nunc aliquid prodiiſſe, vel materiæ adjectum fuiſſe, adfirmare non potes. Ergo nolens, volens, itemque vivus videnſque fatearis neceſſe eſt, vitam eſſe materiæ infuſam, quam Plato tuus vocat animum mundi, ob quem ipſum mundum appellavit denique Deum. Si ad hæc reſponderem, ignorare me, quomodo Deus ex mente Platonis materiam exornaverit, num haberet, quod taxaret? num inde ſequeretur, me cauſa cadere? Non putaverim. Ut autem hoc probem, eadem utar interrogandi libertate, quam ſibi vindicat *Cl. Vir.* Quæro ex illo, quomodo Deus mundum creaverit, & conſervet? Supponit Cl. Vir, & recte quidem, mundum ex nihilo creatum eſſe. Quæro igitur, utrum Deus, poſtquam univerſam materiæ molem produxit, curam ejus abjecerit, & nudus tantum ſpectator ſit, vel an mundum adhuc jugiter conſervet, & gubernet. Prius non adſeret, ſed poſterius. Quod ſi igitur Deus, nobiliſſima Mens, mundum conſervat, velim mihi explicet rationem, qua id fieri poſſit. Oſtendat mihi nexum inter volunta-

luntatem nobiliſſimæ mentis, & curſum æquabilem Planetarum, plantarum, animaliumque productionem, & explicabo ſtatim, quomodo Deus Platonis materiam exornaverit. Non *ſufficit dicere*, Deum *jus habere in materiam*; quæritur enim, *qua ratione* hoc *ſuum jus exequatur*. Perſuaſiſſimus ſum, *Illuſtrem Virum* modum hunc explicare non poſſe. Credit tamen ſine dubio mecum, Deum huic mundo proſpicere, eum gubernare, & quidem rectiſſime. Quod ſi enim illæ demum propoſitiones eſſent admittendæ, quæ το διοτι, uti in Scholis loquuntur, nobis explicarent, pauciſſima credenda eſſent. Amplius dico, ne ipſam quidem Creationem e nihilo admittere teneremur, ſi *Cl. Viri* philoſophandi ratio valet. Agnoſcit mecum, Deum eſſe perfectiſſimam mentem, & eum ſolum ab æterno per ſe extitiſſe, voluiſſe autem, ut exiſtat mundus, pulcherrimarum rerum ſeries; rogo igitur *Illuſtrem Virum*, ut mihi explicet modum hujus Creationis, explicet, qua ratione factum ſit, ut, poſita voluntate Dei, innumerabilis corporum multitudo exorta fuerit. *Forte dicet*, *Deum eſſe mentem infinitam.* Sed præterquam quod infiniti perſpicuam notionem non

habeamus ; *aliud eſt infinitum extenſione*, aliud *perfectione*. De *priori* hic non eſt quæſtio, ſed de poſteriore. Perfectione Deus eſt infinitus, quia omnia poſſibilia efficere poteſt. Sed ego poſtulo, ut mihi explicetur, quomodo illa poſſibilia, illa corpora v. gr. per mentem infinitam producta ſint, quæ ſit connexio inter voluntatem & rerum exiſtentiam. *Diffido* hac in parte *ſummæ Cl. Gundlingii perſpicaciæ*. Quod ſi tamen hæc non obſtant, quo minus mecum Creationem ex nihilo & Conſervationem omnium rerum credat, quid cauſæ eſt, cur credere nolit, Deum Platonis materiam exornaſſe, præſertim poſt tot præclariſſima adducta loca. Aſſeruit Plato, Deum materiam in ordinem digeſſiſſe, ergo credidit, hoc fieri potuiſſe, licet interrogatus, quomodo id fieri potuerit, non minus ignorantiam ſuam debuiſſet fateri, quam nos de Creationis modo interrogati. Quid igitur de conſequentia D. Gundlingii ſentiendum ſit, vel me tacente omnes vident.

Sect. XXIX.

Cl. Gundling. Sect. 36. & ſequentibus probare contendit, non tantum animum mundi, ſed & mundum ipſum, aſtra, terram,

ram, Θεὰς vocari, & quidem eo ſenſu, quo Spinoza intellexit, nimirum Dei naturam per omnes mundi partes diffuſam eſſe. Conceſſi in Diſſertat. mea, mundum, aſtra, terram, Θεὰς dici, ſed eo ſenſu, quo vult Spinoza, negavi; in Timæo enim Plato clariſſime ſemper Θεὰς γενητὰς *a ſummo omnium rerum moderatore diſtinguit, quem* τῶν παντῶν Δημιουργὸν, πατέρα, vocat; unde patet, *nonniſi diluto* quammaxime ſenſu vocabulum Θεῶν ſumendum eſſe. Neque adeo opus fuit provocare ad locum Ciceronis de N. D. in quo Vellejus Platonem inconſtantiæ accuſat, quod modo Θεὰς terram, aſtra, mundum, eſſe dixerit; modo rerum omnium gubernatorem; *probandum enim, Deos illos, terram, aſtra, &c. unum cum Deo optimo rerum omnium Moderatore efficere, in unam ſubſtantiam compingi; non hoc, vocari tantum Deos, de quo nulla eſt quæſtio.* Provocat autem ad *Librum X. Platonis de legibus*, in quo *Plato* adſerit, animam ſolem agitantem Deum appellandam, imo Deorum omnia eſſe plena. Sed hæc omnia facile concedo. Plato non animam ſolum, ſolem agitantem, ſed & cæteras intellectuales ſubſtantias, ſyderibus certis præfixas, Θεὰς adpellat, atque adeo

innumeras agnoſcit *ſubſtantias inter ſe diverſiſſimas*; cauſam adpellationis autem hujus nullam aliam invenimus, quam quod illæ ſubſtantiæ omnium excellentiſſimæ ſint; ita enim omne in ſuo genere excellens adpellari, integro capite docuit *Doctiſſimus Clericus in arte Critica.* Hinc Cicero Platonem *Philoſophorum Deum* adpellat. Ideo autem Θεὸς dici illas animas ſtellis præfixas, quod partes ſint ab Eſſentia divina divulſæ & diſcerptæ, nullo perſpicuo probare poterit teſtimonio. Vel ipſe locus Platonis, ad quem *Cl. Vir* provocat, aliud inſinuat. Ita enim integer ex verſione Ficini pag. m. 882. ſonat: Ath. *Quid ſi Solem, Lunam, cæteraque Sydera anima ducit cuncta, nonne ſingula quoque?* CLIN. *quidni?* Athen. *de uno igitur verba faciamus, quæ aſtris omnibus poſſunt accommodari.* CLIN. *de quo?* Athen. *Solis quidem corpus omnes homines vident, animam nemo, nec etiam alterius animalium corporis, nec vivi, nec mortui. Idque genus cum nullo corporis ſenſu percipiatur, ſola mente comprehenditur. Quare & nos de ipſo hoc ſola intelligentia capiamus.* CLIN. *quidnam?* Athen. *cum ſolem anima moveat, ſi trium modorum aliquo ab ea fieri hoc aſſerimus, fortaſſe non aberra-*

aberrabimus. CLIN. *quos dicis modos?* Athen. *quod vel intus in hoc rotundo corpore ineſt, & quo libet ipſum transfert, quemadmodum nos anima noſtra quo libet ducit. Vel ipſa foris quidem eſt, & corpus aliquod ignis vel aëris nacta, ut quidam ajunt, per vim corpus corpore pellit. Vel tertio, quamvis ipſa nuda corpore ſit, quia tamen alias vires, ſupra modum mirabiles, habet, facile ducit.* CLIN. *certe uno iſtorum modorum ab anima agitari cuncta neceſſe eſt.* Ath. *præſtat autem, ut ſive curru quodam intrinſecus teneat corpus illud ejus anima, lumenque ita cunctis effundat, ſive foris ſit, ſeu quomodocunque quis excogitet, Deum eſſe ipſam omnes arbitremur. An aliter?* CLIN. *Ita certe, niſi quis extrema dementia teneatur.* Athen. *de univerſo præterea ſtellis, & luna, & annis, menſibus, cunctisque temporibus, quid aliud quam hoc ipſum dicemus? Quoniam anima & animæ omnibus virtutibus præditæ illorum omnium cauſæ demonſtratæ ſunt, Deos eas eſſe affirmabimus: ſive in corporibus ſint, & tanquam animalia quædam cœlum totum exornent: ſive quomodocunque aliter agere id dicantur.* CLIN. *omnino.* Athen. *ita ergo iſtis conceſſis, poteritne aliquis negare, plena Deorum omnia eſſe.* CLIN. *nullus*

adeo mente captus eſt, hoſpes. Ex hoc Platonis loco patet, *1. animas illas, ſtellis præfixas, prorſus inter ſe diverſas eſſe. 2. easdem* Θεὰς *dici, & pro Diis cultu quodam ex mente Platonis proſequendas. 3. Platonem ipſum, qua ratione cum cœleſtibus conjunctæ ſint, definire noluiſſe.* Ubi manet autem *conſectarium* illud, quod inde elicere vult D. G. nimirum, animas ipſas ex *divina eſſentia* emanantes unum cum mundo efficere, & propterea Θεὰς *dici?* Provocat *ad Cic. Acad. Lib. 1.* cap. 8. in quo *Cicero* ex mente *Platonis* animum mundi Deum vocat: *Huetium* eodem etiam ſenſu locum Ciceronis intellexiſſe; & inde ita ratiocinatur: *De cætero optionem tibi relinquo, ipſum ſupremum Deum Platonis animum mundi eſſe credas, ſicque eum mundo includas; an animum ſecundo genitum poſt Demiurgum, aut ex mente divina ac Monade ortum credas? Si primum, actum eſt de te; ſin ſecundum, non vinces certe. Ille enim Ortus emanationem ſtabiliet ſecundam, cum fieri nequeat, ut ortus in Syſtemate Platonis aliter, quam per emanationem explicetur: Quia omnia, quæ de animo mundi prædicantur* ποιότητα, *ſeu qualitatem innuunt divinam & ſempiternam. Quocunque te vertas, circumſcriptus eris captùsque.*

Ita

Ita Illuſtris Vir triumphum ante victoriam canit. Quod ut pateat, ſequentia obſervo. 1. Verum eſt, *Ciceronem* dixiſſe animam mundi Deum eſſe, unde tamen minime inferri poteſt, animum mundi ſupremum illud Numen eſſe, quod Plato tantopere laudibus extulit, niſi ſimul & cœlum, & terram, & aſtra ſupremum Numen dicas Platoni fuiſſe, quod abſonum. 2. Animum mundi ſupremum Deum Platonis non eſſe, ſupra jam clariſſimis locis Platonis & Timæi Locri probavi. 3. Omnis igitur controverſia redit ad *quæſtionem de origine animæ mundi*, utrum nempe *ex Deo ſit nec ne*, & hoc poſito, utrum id factum *per fluxum proprie ita dictum.* Diximus ſupra, Platonem & Locrum perſpicue nihil de origine hujus animæ mundi adſerere, Platonicos cæteros illam a λογῳ ortam tueri. Habebimus igitur præter Numen præſtantiſſimum, *Patrem omnium rerum*, τον νεν, & την τε κοσμε ψυχην. 4. Quod ſi anima illa mundi vel a Deo ſummo vel a mente orta ſit, *probandum Gundlingio, id aliter fieri non potuiſſe, quam per proprie ita dictam partium Secretionem*, quod ipſum univerſæ Philoſophiæ Platonicæ principiis contrarium eſt, quæ perhibet, oriri ἀπο τε ἑνος τας ἰδεας

ἤτοι τα νοητα ἐιδη, τη νοησει μονη γνωστας, quod præter alios multos eleganter docuit *Cl. Bruckerus in hist. philosoph. de Ideis, & elegantissima dissertat. de convenientia Numerorum Pythagoræ cum ideis Platonis Sect. XI. Tom. VII. Amœnitatum Cl. Schelhornii* inserta (*), non juvat dicta igitur repetere. Dixi jam supra, ipsos Christianos in æterna filii generatione explicanda desudantes, voce ἀποῤῥοιας usos, omnem tamen fluxionem proprie dictam aspernatos esse. Evolvi autem nuper *Cl. Fabricii Bibl. Græcæ Vol. 8. & observavi Evnomium* olim simili argumento usum ad æternam Filii generationem subvertendam. Ita enim ratiocinatur ille pag. 272. Ἐι γαρ τις κοινοποιειν προς ἑτερον ἠ μεταδιδοναι τινι της ὀυσιας ταυτης ἐθελησειεν, ἤτοι κατα διαςασιν και μερισμον, ἠ κατα συγκρισιν τουτο κατασκευασειεν ἀν. Ὁποτερον δ' ἀν λεγηται τουτων, πολλαις ἀτοπιαις, βλασφημιαις δε μαλλον ὁ λογος ἐνεχθησεται. Ἐι τε γαρ διαιροιτο και μεριζοιτο, ὀυκ' ἐτ' ἀγεννητος ἐιη, ὁ μη προτερον ἠν τουτο ἐκ της διαιρεσεως γιγνομενος, ἀλλα μην ὀυτ' ἀφθαρτος του μερισμου το της ἀφθαρσιας ἀξιωμα λυμαινομενου. i. e. *Si*

(*) Præcipue, quæ §. X. p. 216. seqq. & in Otio Vindelico §. XIV. Mel. II. p. 186. seqq. prolixe dicta sunt.

Si quis enim Eſſentiam hanc communem reddere cum aliqua re alia, vel de hac eſſentia alicui aliquid impertire voluerit, neceſſario hoc facere attentabit, vel ſecundum diremptionem ac partitionem, vel ſecundum ſimilitudinem & comparationem. Utrum autem ex his aſſeratur, multas profecto ſecum futilitates vel potius blaſphemias trahet & inferet ipſa aſſertio. Etenim ſive dividatur, aut in partes ſecetur, non amplius illa eſſe poteſt ingenita, cum videlicet ipſa illud, quod antea non erat, ex tali diviſione fiat: imo hoc pacto corruptionis expers illa eſſe nequit, ſiquidem partitio iſta totam Incorruptibilitatis Majeſtatem labefactat. Ad hæc *Evnomii* verba ita commentatur *Cl. Fabricius: Hoc palmarium Evnomii argumentum ac prope unicum, fieri non poſſe, ut ex ingenita divina Eſſentia ſimilis ipſi Filius generetur. Unde quicquid de generatione Filii in ſacris Literis dicitur, ille de Creatione accipit. Sed non majoris illa argumentatio mihi videtur eſſe ponderis, quam ſi neges, ab increata divina Eſſentia aliquid potuiſſe creari ac produci. Cauſam autem adſertionis transfert in ſuperbiam Evnomii, qui ab Aëtio Magiſtro edoctus non dubitavit poferre ſtulta hæc verba,* τοσουτον αὐτον ἐπιϛαμαι και οἰδα, ὡϛε μη εἰδεναι ἑμαυτον, ὡς θεον

μαλλον

μαλλον ἐπιϛαμαι. i. e. *Tam perſpicue Deum, qualis ſit, novi, ac tantam illius notitiam ſum conſecutus, ut ne me ipſum quidem melius quam illum noverim. Commentarium hunc Cl. Fabricii*, vel ideo adduxi, uti pateat, *Cl. Viro* haud *impoſſibilem* videri *generationem* aliquam *æternam in divinis*, abſque omni partium diviſione. Unde ſimul etiam liquidum eſt, ſi vel maxime certum eſſet, animum mundi a Deo ortum, nondum ſequi, Deum ipſum ex partibus conſtare, aut cum anima mundi unicam efficere ſubſtantiam. 4. Quod ſi concederem, animam mundi a Deo ortam, & arctiſſime cum Deo connexam, nondum *tamen captus eſſem, ut quidem Illuſtris Antagoniſta putat. Converterem enim memet ad duplex principium coëxiſtens, & materiam a Deo in origine non dependentem, ſed inhabitatam tantum, ut corpus ab animo, domus ab Hoſpite inhabitatur, atque ita evaderem.* Sed cum priora ſufficiant, metus nullus eſt. *Illud vero* (ita pergit acutiſſimus Profeſſor) *ad modum foret Scholaſticum, ac ſimul ridiculum, negare effluxum, ubi agnoſcitur & numerantur fontes Deorum, lumen ac ſplendor mentis divinæ, ſecundæque abundantia, profunditas & fœcunditas & perfectio in res omnes derivata.*

ta. Mihi vero plane videtur *Viro Docto indignum*, ſine ceſſatione adſerere, *Platonem, Platonem* inquam, credidiſſe, *Deum ex partibus conſtare*, eſſentiam divinam in varias partes ſciſſam eſſe, *neque tamen perſpicuis hoc probare veterum locis.* Oraculorum Chaldaicorum Auctores, Platonicosque juniores de ἀποῤῥοιαις, & ſimilibus, frequenter locutos ſcio; Sed cum in *Platone*, atque *T. Locro*, talia non inveniam, diffido inanibus ratiociniis, quæ illi in medium proferebant. Eruditiſſimi Viri dudum agnoverunt *Jamblichum, Proclum, Plotinum, cæterosque Scholæ Platonicæ Profeſſores*, non quid Plato ſenſerit, ſed quid eum ſenſiſſe putaverint, dixiſſe. (*) *Cl. Fabricius*, Vir harum rerum peritiſſimus, *Bibl. Græcæ Tom. 8.* pag. 516. ita loquitur occaſione Commentarii Procli in Theologiam Platonis: *Hæc ſolenne*, inquit, *recentioribus a Plotino uſque Platonicis, ut mille aliena dogmata Philoſophi illius doctrinæ ſive adtexant,*

(*) Chriſtianorum ſcilicet objectionibus ad anguſtias compulſi & ad incitas redacti, viamque non invenientes, qua ratione Platonicam philoſophiam ſtabilirent & defenderent, ea, quæ deformia & ἀσύστατα deprehendebant, longe alia ratione explicabant, immo divinæ Trinitatis myſterio capti, & tamen revelationi, quæque eam exhibebat, Chriſtianæ religioni

xant, ſive ſubſtituant, & tamen pro genuino univerſa venditent Platoniſmo, quaſi Plato, ſi non ita ſenſit, certe debuerit ita ſentire, ut ipſi comminiſcuntur. Idem ſentit *Eruditiſſimus Cudworth* apud eundem *Fabricium* pag. 524. quibus calculum ſuum præter alios addit *Vir ſummus Joh. Clericus in notis ad Oracula Chaldaica pag. 1198.* Ed. Olearii, & *Bibl. Select Tom. 3. p. 89. Ipſemet Cl. Gundling. in Hiſt. Philoſoph. Moralis* p. 20. Oracula Chaldaica recentioribus adſcribit Platonicis, & ſe iſta non intelligere ſcribit; *Ipſemet, Procli* adſertionem de Creatione ex nihilo Platoni credita *commentum eſſe putat*, cur ergo omnia, quæ a recentioribus credita ſunt Platonicis, *Platoni ipſi adſcribere vult?* pleraque de ἀποῤῥοιαις & *intellectualibus Sectionibus, fonte fontium, paterno abyſſo*, inventa & commenta recentiorum illo-

---

nl honorem deferre recuſantes, ipſi ratiocinatiunculas ejusmodi & vacuos ſine ſenſu ſonos effinxerunt, ut voces ſaltem Nihili, ut ita dicam, haberent, quas præſtantiſſimis Chriſtianorum doctrinis opponerent; quod iſtorum temporum literariam hiſtoriam percurrenti erit longe clariſſimum. Et tamen eos per Deum & intellectualia materiale quid intellexiſſe, nemo aſſeret, qui vel duas Oraculorum lineas legerit.

illorum Platonicorum sunt, quæ admittere tum demum possumus, quando cum perspicuis Platonis decretis conspirant; quamprimum vero ab iis recedunt, & pro lubitu Platonem interpretantur, causa adest nulla, cur pertinaciter eorum dictis inhæreamus, aut adseramus, Platonem non aliter interpretandum esse. (*) Hinc satis jam patet, quid de locis *Procli* & *Plotini* Sect. 40. & 41. allatis dicendum sit. Multis illi loquuntur de *fluxionibus divinis* & *fonte idearum*, unde omnia oriuntur intellectualia, nullibi tamen hi ipsi perspicue denotant hæc omnia

(*) Loquatur de hoc argumento ipse Plato. In Phædone pag. 78. ita mentem suam pandit: αὐτη οὐσια, ἡς λογον διδομεν, τοῦ εἰναι, και ἐρωτωντες και ἀποκρινομενοι, ποτερον ὡσαυτως ἀει ἐχει κατα ταυτα ἡ ἀλλον ἀλλως, αὐτο το ἰσον αὐτο το καλον, αὐτο ἑκαστον. ὁ ἐστι τοιον, μηποτε μεταβολην και ἡντινουν ἐνδεχεται. ἡ ἀει αὐτῶν ἑκαστον, ὁ ἐστι μονοειδες ὀν, αὐτο κατ' αὐτο. ὡσαυτως κατα ταυτα ἐχει, και οὐδεποτε οὐδαμη οὐδαμως ἀλλοιωσιν οὐδεμιαν ἐνδεχεται, ὡσαυτως, ἐφη, ἀναγκη. ὁ κεβης, και κατα τα αὐτα ἐχειν. i. e. Ipsa illa essentia, quam interrogationum responsionumque vi definivimus, quod revera existat, utrum æqualiter semper eodem modo habet, an alias aliter? ipsum nimirum æquale, ipsum pulchrum, ipsum singulum (id est, id quod revera existit) nunquamne ullam mutationem suscipit? eodem, inquit Cebes, modo & similiter habere necessum est.

mnia per *fluxum proprie dictum* explicanda. Saltem quicunque Oracula Chaldaica attente legit, perſpicit, tam obſcuris vocibus pleraque expreſſa, uti firmiſſime perſuaſus ſim, ne *ipſos quidem Auctores* horum Oraculorum, quid dixerint, ſciviſſe. Sic loca ipſa quæ citat Cl. Vir, *obſcuriora ſunt*, quam ut *emanationem proprie dictam & efluxum denotent.* Proclus Theolog. Plat. Lib. VI. cap. 2. inquit: μια σειρα και ταξις αδιαλυτος ἀνωθεν καθηκει δια την της πρωτιστης αἰτιας ὑπερβλητον ἀγαθοτητα και το ἑνιαιον κρατος αὐτης. i. e. *unica catena & ordo indiſſolubilis ſuperne deſcendit, propter eximiam primæ cauſæ bonitatem, & ſingularem ejus potentiam.* Ad quæ verba *Cl. Clericus: Exiſtumabant*, inquit, *ab occultiſſima unitate intelligibili, hoc eſt a ſummo Deo, per varios gradus proprietatum manaſſe naturas omnes, adeo ut minus præſtantes præſtantioribus ſubjacerent.* Ex *hiſce* autem verbis nondum patet, quod putat *Gundlingius*, omnia nimirum *neceſſario ex divina eſſentia* tanquam fonte *emanaſſe*; ſed hoc tantum, a Deo & intellectualibus ſubſtantiis omnia orta; modo autem non explicat. Et quomodo tandem emanatio illa neceſſaria omnium rerum ex Deo locum habebit, ſi Deus ex mente Procli *materiam*

riam ipsam creavit? quomodo Deus cum mundo connexus erit, si secundæ menti gubernationem universi tradidit Deus summus? Ita enim ipse *Proclus in Theolog. Lib. V. cap. 23. Socrates* ὑποτιθεται νουν τα παντα διακοσμειν, ὡσπερ οἱ προ αὐτου σοφοι, και τον τε ἡλιον, και την σεληνην, και πασαν την περιφοραν διακυβερναν: i. e. *Socrates statuit, a mente omnia disponi, ut sapientes, qui ante eum fuerunt, & solem, & lunam, & universam circumactionem ab eadem regi.* Hinc idem *Vir summus, Clericus nempe,* ad verba illa Sect. II. *Seipsum rapuit Pater,* ita loquitur: *Hoc est interprete Plethone:* Εαυτον των ἀλλων παντων ἐξαιρετον ἐποιησεν, *se ab omnibus subduxit & segregem fecit, quod Essentia supremæ illius Unitatis sit plane* ἀμετεκτος, *imparticipabilis, ut toto libro II. Theologiæ suæ multis probat Proclus, qui post Parmenidem eam vocat* ἑν, *quod neque est in se ipso, neque in alio,* οὔτε ἐν αὑτῳ ἐςιν, οὔτε ἐν ἀλλῳ. *Hanc* (ita addit Doctissimus Vir) *esse Platonicorum mentem certo norunt, qui eam expenderunt, licet omnes eorum ratiocinationes non adsequamur; quod ne ipsi quidem, ut fit, præ nimia subtilitate satis scirent, quid sibi vellent.* Provocat præterea *Gundlingius ad Plotini Ennead. V. Lib. VIII. cap. XII.* in quo doceatur, in prima causa o-

mnes fuiſſe ab æterno, atque inde προελθειν. Sed nihil hic extat, quod ad ſcopum Gundlingii ulla ratione faciat, quod inſpicienti patebit. Idem dico de loco Ennead. IV. Lib. III. cap. 9. ad quem provocat, probaturus, mundum ab effectore ſuo non eſſe ſeparatum. *Ne* γε quidem ibi de hac re extat. Quæritur ibi, quot modis inſinuetur anima corpori, & qualis ſit anima mundi, & quomodo faciat mundum & dimenſionem ejus, & quomodo ſit ubique. Si verba ipſa, quibus nititur, adduxiſſet, tum ſtatim adparuiſſet, quam vim habeat argumentatio inde petita. Sect. 41. provocat denuo ad duo loca Plotini, perſuaſurus Lectori, ſe adſertiones ſuas firmiſſimis ſuperſtruere teſtimoniis, probe gnarus, plerosque loca illa non inſpicere. *Prior extat Ennead. II.* Lib. I. cap. 2. atque ex eo probare vult, mundum conſervari ex mente Platonis *per continuum fluxum.* Quod ſi hoc vel maxime concederem, nihil tamen lucraretur *D. Vir:* probandum enim eſſet, *conſervationem mundi ex mente Platonis in eo conſiſtere, quod omnia continuo ex neceſſitate divinæ naturæ fluant.* At nec *prioris*, nec *poſterioris* hoc in loco mentionem facit Plotinus. In duobus prioribus capitibus hujus libri quærit,

rit, utrum cœlum ſit ſempiternum, tam in qualibet ſingulari ejus ſubſtantia, quam in ſpecie; & ſtatim quidem initio capitis, mundum perpetuum fore ait, δια την τȣ Θεȣ βȣλησιν; *non per perpetuam quandam ex Deo fluxionem.* Initio autem capitis ſecundi dubitanter tantum de modo perpetuæ conſervationis cœli rerumque ſublunarium loquitur, dicens: *Si opinionem hanc admiſerimus, dixerimusque, cœlum quidem & cœleſtia omnia ſecundum ſingularem cujusque ſubſtantiam ſempiternam habere perſeverantiam: quæ vero ſub luna ſunt, id ipſum duntaxat ſecundum ſpeciem poſſidere, demonſtrandum erit, quomodo poſſit, quod habet corpus, eandem ſemper ſub ſingulari proprietate ſervare naturam, cum ipſius corporis natura continue perfluat. Vetus enim hæc ſententia eſt, cum aliorum, qui de natura diſputaverunt, tum Platonis ipſius, non ſolum circa alia, verum etiam circa cœleſtia corpora fluxum eſſe perpetuum.* (*) *Ex quo patet, fluxum quidem corporum concedi, nullo verbo autem vel*

(*) Id quod Plotinus ex mente Platonis recte urget, qui, cum Heracliteæ Doctrinæ, quæ corporum omnium naturam fluidam aſſerebat, adhæſiſſet, nec iſtam

Dei, vel aliarum naturarum intelligentium mentionem fieri. Alter locus *Plotini* extat *eodem Libro cap. IV. p. 99.* Adhucdum in ea quæſtione ſolvenda occupatus eſt *Plotinus*, quomodo cœlum perpetuo manere poſſit: idem, explicationem redditurus ita incipit: *Si quis enim adjunxerit potiſſimam cauſam, ſcilicet animam una cum corporibus adeo puris omninoque melioribus: quandoquidem & in cæteris animalibus natura pro membris principalibus eligit meliora: is certe ſolidam de immortalitate cœli ſententiam in medium adduxiſſe videbitur. Recte enim & Ariſtoteles ait, flammam eſſe fervorem quendam & ignem velut, ob ſatietatem injurioſum atque luxurians. Ignis autem cœleſtis æqualis eſt, atque quietus, naturæque aſtrorum accommodatus. Quod vero maximum eſt, cum anima optimis proxima, mirabili potentia prædita ſit, quanam via quicquam eorum,*

---

iſtam vel ſcientiæ vel rerum durationi locum dare metueret, æternas & per ſe duraturas ſubſtantias materiæ oppoſitas invenit, monente ARIST. Met. l. XIII. c. 4. quæ tantum abeſt, ut fluxui materiali ſint obnoxiæ, ut potius naturam eis adſcribat e diametro contrariam; quod clare probat, in intellectualibus Platonem nihil admiſiſſe, quod cum fluxu proprie dicto, qualem putat V. C. ullam habet communionem.

eorum, quæ in ea ſemel poſita ſunt, hanc ipſam verſus interitum ſubterfugere poterit? Hisce in medium prolatis ſequuntur verba, ad quæ D. G. provocat. *Si quis*, inquit, *animam ex Deo manantem non judicaverit omni vinculo fortiorem, is quoque profecto cauſam omnia continentem ignorare videtur. Abſurdum certe eſt, opinari, animam, quæ ad tempus cœlum continere poteſt, non etiam id ſemper efficere.* Ex his *Plotini* verbis adparet, nihil aliud eum velle, quam vinculum, quo cœlum alias fluidum contineatur, animam illam mundi eſſe. Quid autem *fluxus cœli* facit *ad probandum, omnia ex Dei natura perpetuo fluere, atque adeo Deum & corpora ex diverſis partibus conſtare?* Interim tamen Cl. Gundling. Sect. 42. ait: *Platonis & Platoni conjunctio mundum Deo in unum Numen ſubſtantiamque coactum, adjicit;* & Sect. 43. *Eſt enim DEUS Platonis mundus, & mundus Deus.* Hæ aſſertiones, ut nullis teſtimoniis ſuperſtructæ ſunt, & pugnant cum omnibus, qui Syſtema Platonicum explanarunt; ita ex *meris ſophismatibus* conſtant. Nimirum ratiocinatio de conjunctione animæ mundi & mundo ipſo, aut prorſus vana eſt, aut huc redit: *Si anima mundi Deus eſt, Deus habitat in materia*

ria immanenter. Atqui verum Prius. E. & Poſt. Sed male ſic infert *Acutiſſimus Vir;* inhabitatio enim, (ut Scholæ terminis utamur) animæ mundi, nondum innuit *informationem*, ad quam requiritur, ut *inhabitatum & inhabitans* ſint *formæ unius, & inhabitans inhabitato det formam, eſſentiam & naturam, uniusque adeo ſint eſſentiæ:* ſin minus, aſſiſtit tantum, ut mens noſtra habitat in corpore, illud tamen non informat. Vis aperta teſtimonia, quibus meam ſententiam probem, & ratiocinium *D. Gundlingii* ſubvertam? En verba ipſius *Plotini*, *cui tantum tribuit Antagoniſta. Ennead. III. Lib. 2. cap. 9. pag. m. 262.* ita loquitur: ἐ γαρ δη ἑτω την προνοιαν ἑιναι δει, ὡσε μηδεν ἡμας ἑιναι. Παντα δε ἐσης προνοιας, και μονης ἀυτης, ἐ δ' αν εἰη, Τινος γαρ ἀν ἐτι εἰη; ἀλλα μονον ἀν εἰ το Θειον. Τϗτο δε και νυν ἐϛι, και προς ἀλλο δε ἐληγυθεν, ἐχ ἱνα ἀνελη το ἀλλο. ἀλλ' ἐπιοντι ὁιον ἀνθρωπω ἡν ἐπ' ἀυτω τηρϗσα τον ἀνθρωπον ὀντα. i. e. *Non oportet autem ita providentiam eſſe, ut nos omnino nihil ſimus, alioquin ſi providentia ipſa ſit omnia, ipſaque ſola, non erit amplius providentia. Cujus enim ulterius providentia foret? Profecto ſola Divinitas eſſet. Nunc vero Divinitas quidem eſt, ſeque confert ad aliud, non tamen ut ipſum*

aliud

aliud auferat: ſed accedens exempli gratia ad hominem, ſervat in eo, quod eſt eſſe hominem. Vis ratiociner ex ipſis principiis Philoſophiæ Platonicæ? Tum ad *duo æterna & independentia principia, ad diſtinctionem celeberrimam* τῶν νοητῶν καὶ αἰσθητῶν, *ad originem animæ mundi, prout a Platone & T. Locro deſcribitur, recurram* - - dein verba illa *Gundlingii:* Deus Platonis eſt mundus, & mundus Deus, *involvunt fallaciam compoſitionis.* Dici poteſt Platonis Deus, mundus συνεκδοχικῶς propter partem præſtantiorem, animam nimirum mundi, non vero propter eandem eſſentiam: Deinde eſt *Deus Platonis*, mundus conſtans animo (ut ita dicam) & corpore, ſed non materia: *quemadmodum homo animo & corpore* conſtans, eſt *creatura rationalis, denominatione a potiore deſumta*, non vero corpus, abſonumque eſſet, ideo aſſerere, ſtatui corpus rationale, quod homo dicatur rationalis, cum mens & corpus eſſentialiter differant. Nemo dixerit membra corporis mentem eſſe, membra corporis & membra mentis unum eſſe, quia mens operatur in toto corpore. Judicent igitur æqui rerum arbitri, quo jure ſolidis rationibus & argumentis deſtitutus, *Elegantiſſimi Vir Ingenii Sect. 43.*

exclamaverit: *Qui clariorem probationem petiturus eſt, illi ego bonam mentem apprecari non deſiſtam, oculosque vividiores.* Cætera, quæ ad Sectionem uſque 47. dicuntur, *moræ ſunt repetitiones nullis argumentis aut teſtimoniis ſuperſtructæ*; ſupra autem ſatis ſuperque, ni fallor, refutatæ. Unicum tantum addendum de materia, quam contendit Sect. 54. ſq. *non-Ens eſſe*, ſimul tamen ex *Dei natura decerptum.* Dixi ſupra, quo ſenſu materia non inter τα ὀντα referatur. Obſervemus tantum, hanc *ipſam hypotheſin Gundlingii ſubvertere* illam de *origine materiæ ex Deo ſententiam.* Si enim materia ex Deo, ut ideæ, mens, anima mundi & alia νοερα, erit etiam ὀν, quia participat ἀπο το ὀντος, ut illa ὀντα revera ſunt. Quod cum non ſit ex mente *Gundlingii*, materia quoque a Deo eſſe non poteſt. Ideo vero nondum ſequitur, materiam non eſſe, quia ἐκ ὀν; ſed tantum, eſſe *nihil ſtabile*, quæ nec ipſe negaverit *Gundlingius*, conſideratis iis, quæ pag. 77. *affert*, & pluribus adſerit *Jamblichus in Nicomachum.* (*) Alterum concernit locum Platonis in Philebo p. m. 88. verſ. Fic. *Contendit* Gundlingius, Platonem in citato loco *dilucide* fateri, animam *humanam*

(*) Et PORPHYRIVS in ſententiis.

nam & corpora omnia eſſe univerſi partes, & unius illius ſubſtantiæ decerpta. Verbo, unicam dari, quemadmodum in ſyſtemate Spinozæ, ex mente Platonis ſubſtantiam. Verba ita ſonant ex verſione Ficini. Soc. *Et efficientis natura nomine duntaxat a Cauſa differt, efficiensque & cauſa unum merito vocabuntur.* Pr. *Merito* Soc. *Quin etiam factum ac genitum ſolo nomine diſcrepabunt.* Pr. *Certe.* Soc. *Præcedit quidem atque ducit natura ſemper quod Efficiens eſt: quod vero factum eſt ab eo genitumque, ipſum ſequitur.* Adferamus ſolum antecedentia & proxime ſequentia, ut pateat vis illationis Gundlingii. *In antecedentibus* locutus eſt *Plato* de *infinito, termino,* & quod ex hisce duobus conſtat. Dein *Socratem* ita inducit *loquentem: Cæterum,* inquit, *quid præter hæc tria quartum genus ſit, diſcutiendum reſtat. Communis autem iſta diſceptatio eſt. Vide enim, an non neceſſarium tibi videtur, quodcunque gignitur, per aliquam cauſam gigni.* Pro. *Mihi plane. Quomodo enim absque ea fieret?* Tum ſequuntur verba citata, quibus adductis ita Socrates pergit: *non ergo idem, ſed aliud eſt cauſa, & quod ad generationem cauſæ ſervit.* Pro. *Quid prohibet?* Soc. *An non genita ipſa, & ex quibus gignuntur omnia tria nobis genera præ-*

buerunt. Pro. *Maxime.* Soc. *Omnium autem iſtorum Opificem quartum ponimus, cauſamque vocamus, utpote aliud quiddam, quam NB. illa ad ſufficientiam demonſtratum.* Tantum abeſt, ut hic locus *cauſæ Gundlingii inſerviat,* ut potius prorſus eandem deſtruat quam evidentiſſime. Tria enim illa, *terminus* nempe, *infinitum,* ac quod ex illis *componitur, inter facta* & *genita* numerantur; Opifex autem illis *tanquam Cauſa, tanquam Efficiens* præficitur, & ab ipſis *genitis factisque diſtinguitur.* Quomodo igitur Deus & materia cunctaque alia una tantum erunt ſubſtantia, quod contendit *Gundlingius?* Et tamen pag. 268. exclamat: *Audi Zimmermanne, genitum differt ab Efficiente & cauſa nomine, ſicut differunt efficiens & cauſa.* Num audiendus eſt *Gundlingius,* qui provocat ad *Platonem* alia plane, quam vult, dicentem? *Plato* ait, *efficiens a facto genitoque diſtingui. Gundlingius nomine tantum. Utri* ergo *fides adhibenda ſit videat Lector.* Imo ſi vel maxime ex hoc loco probari poſſet, cauſam efficientem & effectum in genere emanationis non differre eſſentia, nondum tamen ſequeretur, id quod intendit Gundlingius. Quod ſi enim ponamus, mentes noſtras a Deo emanaſſe, ſequetur, eas eſſe ejus-

ejusdem cum Deo eſſentiæ ; Si corpora omnia orta ex materia, noſtra item corpora erunt ejusdem cum materia eſſentiæ. Verum id oſtendendum, *diverſas iſtas partes, Deum* nempe & materiam, *unum* eſſe: dici poſſunt eſſentiæ ratione *unum* Deus, genitum, NB. in *ſpiritualibus. Unum materia,* genitum, forma NB. in *materialibus,* & tamen *duæ* manent *diverſiſſimæ ſubſtantiæ.*

Sect. XXX.

Sectione 66. aggreditur *Cl. G.* materiam de *mundi æternitate. In diſſertatione mea* clariſſima *Platonis* & *T. Locri adduxi* loca, quibus probatur, *Platonem* credidiſſe, tempus non eſſe æternum, ſed ſimul cum mundo tempus exortum. Hæc autem longe aliter & *contra clariſſimorum teſtimoniorum lucem* interpretatur *D. Gundling.* pag. 284. Poſtquam enim, quæ circa hanc materiam obſervanda ſint, injunxit, ſententiam ſuam ita proponit: *Certum habeo, materiam Platonem dixiſſe æternam cum Timæo Locro, eamque extitiſſe interveniente* λογῳ ; *quod Ab. Gravius non male exponit, ab hoc* λογῳ *ſeu mente illam eſſe prolatam, non creatam ex nihilo ; ſed* δεδειγμενην, *nec prorſus exornatam, ſed informem,* ἀσχημαλιςον ; *ſiquidem in ipſa productione gradus ponantur in ſigno rationis, per*

quos

quos major ei perfectionis & ornatus incrementum accessisset κατ' ἐπινοιαν. Sed hæc *aperte* cum testimoniis *Veterum* pugnant. *Materia* quidem dicitur ἀϊ διος, imo etiam ἀσχηματιςος, sed antequam Deus ad intelligibile illud παραδειγμα eam formaret, & hactenus quidem, si materiam respectu originis suæ consideres, mundus, quatenus ex æterna materia constat, est æternus. Sed cum clarissime *Plato, T. Locrus* aliique magno numero testentur, materiam illam ἀσχηματιςον a Deo fuisse exornatam, & in diversas species formasque mutatam, Deo per bonitatem suam ad hoc commoto, liquidum est, *purum putum inventum esse Cl. Gundlingii* asserentis, materiam illam æternam non exornatam, sed ἀσχήματιςον ab æterno fuisse prolatam, & in signo, ut ait, rationis tantum exornatam in tempore. Quid enim clarius evidentiusque est verbis *T. Locri*, quem hac etiam in parte Plato sequitur, quæ leguntur pag. 552. ed. Galæi: χρονῳ δε τα μερεα ταιδε τας περιοδως λεγοντι, ἁς ἐκοσμησεν ὁ Θεος συν κοσμῳ. ὀ γαρ ἠν προ κοσμω ἀςρα. διοπερ ὀδ' ἐνιαυτος ὀδ' ὡραν περιοδος, αἱς μετρεεται ὁ γενναλος κοσμος ὀτος, ἐικων δε ἐςι τω ἀγεννατω χρονω, ὁν ἀιωνα ποταγορευομες. ὡς γαρ ποτ' ἀϊδιον παραδειγμα τον ἰδανικον κοσμον ὁδε ὡρανος ἐγενναθη,

ἐγενναθη, εἴλως ὡς προς παραδειγμα τον αἰωνα ὁδε χρονος συν κοσμῳ NB. ἐδαμιεργηθη. i. e. *Sunt vero hæ temporis partes, quas circuitus vocant. Deus autem tempus cum ipſo mundo ordinavit. Non enim erant aſtra ante tempus, neque proinde annus, neque anni tempeſtates, certis circuitibus diſtinctæ: Eſt autem tempus ingeniti temporis imago, quod æternitatem vocamus. Quemadmodum enim hæc univerſitas ad intelligibilis mundi exemplar creata eſt, ita & hoc tempus ad æternitatem, veluti ad Exemplar quoddam, cum mundo ab Opifice fuit conſtitutum. Aperte* in hoc loco Deus dicitur mundum κοσμησας, *aperte mundus cum tempore* initium habuiſſe; *aperte* tempus dicitur τὸ ἀγενναῖον χρονε imago. *Hæc* qua ratione poſſint *eludi*, & in alium ſenſum torqueri, *fateor me neſcire.* Sed cur, inquit, materia illa æterna non item ab æterno exornata fuit? Non ita voluiſſe Deus dicitur ex mente Platonis. *Bonus tamen eſt*, regerit, *ab æterno.* Imo vero. Sed nulla adeſt *neceſſitas*, quæ *Deum impellat ſemper ſuam demonſtrandi bonitatem.* Omnes Chriſtiani Deum bonum eſſe clamitant, ſimul tamen cuncti fatentur, Deum mundum in tempore condidiſſe. *Sed ſi Deus noluit* (ita pergit) *primum mundum condere, poſtea vero voluit,*

voluit, videtur Deus eſſe mutabilis. Deus etiam ex Chriſtianorum ſententia noluit mundum citius condere, quam condidit, neque tamen mutabilis eſt, licet ab æterno divina mente hoc agitaverit. Deus ab æterno conſtituit, me creare, ſed non ab æterno voluit conſilii ſui Decretum exequi; neque enim, quæ vult, ab æterno fieri vult, alias mundus cum omnibus Creaturis æternus eſſet. His non obſtantibus, putat tamen *D. G. veriſimilius eſſe, mundum eſſe æternum ex mente Platonis, quam in tempore genitum.* Sed quomodo hæc cum verbis Platonis & T. Locri conciliari poſſunt? Audi. *Sicuti Moſis*, inquit, *diſtincta rerum creatarum intervalla non impediunt, quo minus omnia ſimul condi potuiſſe exiſtimentur: ita animum induxerim, non repugnare ſimiliter, quin, materia ab æterno apparente, omnia ſimul ornata putaverit & facta Philoſophus Athenienſis: etſi ſigillatim recenſuit genita, earumque ordinem delineavit.* Sed hoc *nihil aliud eſt, quam conjecturas conjecturis tegere, ne perpluant.* Cur enim hic a ſimplicitate literæ recedamus? *Sufficit*, quod Moſes æque ac Plato & T. Locrus adſerant, *in tempore* conditum eſſe mundum, ſive jam per intervalla hoc factum ſit, ſive in momento.

to. Sed graviores rationes promittit *Antagoniſta meus* pag. 287. *Plato*, inquit, *nunquam ad quæſtionem de mundi æternitate reſpondit rotunde; ſed repoſuit duntaxat, cumprimis in Timæo, mundum eſſe genitum. Quæ reſponſio non ſatisfacit ſollicito lectori. Semper enim* ζητημα *recurrit: an* κατα χρονον? *Itemque an geneſis æterna ejus ſententiis ratis repugnet.* Quid ergo tandem ſibi volunt verba antea e *T. Locro* citata? an non *rotunde* adſerit *Timæus*, una cum mundo demum tempus exortum, tempus εικωνα tantum eſſe χρονε αἰωνις? num hæc interprete indigent aut Oedipo quodam? ſed audiatur ipſe Plato in Timæo *rotunde* ita loquens p. 480. Ὁς δε κεκινηθεν τε αὐτο, και ζων ἐννενοησε των ἀϊδιων Θεων γεγονος ἀγαλμα, ὁ γεννησας πατηρ ἠγαθη τε και ἐυφρανθεις ἐτι δη μαλλον ὁμοιον προς το παραδειγμα ἐπενενοησεν ἀπεργασασθαι. Καθαπερ ἐν αὐτο τυγχανει ζωον ἀϊ διον, και τοδε παν ἑτως εἰς δυναμιν ἐπεχειρησε τοιετον ἀποτελειν. ἡ μεν ἐν ζωε Φυσις ἐτυγχανεν ἐσα αἰωνιος, και τετο μεν δη τῳ γεννητῳ παντελως προσαπτειν, ἐκ ἠν δυνατον εἰκω δ' ἐπινοειν κινητην τινα αἰωνος ποιησαι, και διακοσμων ἁμα ἐρανον, ποιει μενοντος αἰωνος ἐν ἑνι, καθ' ἀριθμον ἰεσαν αἰωνιον εἰκονα, τετον ὀν δη χρονον ὠνομακαμεν. ἡμερας γαρ και νυκτας και μηνας και ἐνιαυτες, NB. ἐκ ὀντας πριν ἐρανον γενεσθαι, και το τε ἁμα

ἅμα ἐκεινω ξυνιςαμενεω την γενεσιν αὐτων μηχανηται, ταυτα δε παντα μερος χρονε. Και το τ' ἠν το τ' ἐσαι. χρονε γεγονοτος εἰδη Φεροντες λανθανομεν ἐπι την ἀϊδιον ἐσιαν ἐκ ὀρθως. Λεγομεν γαρ δη ὡς ἠν, ἐςι τε και ἐσαι. Τη δε το ἐςι μονον, κατα τον ἀληθη λογον προσηκει. Το δε ἠν, το τ' ἐσαι περι την ἐν χρονῳ γενεσιν ἰσαν πρεπει λεγεσθαι. Κινησεις γαρ ἐσον. Το δε ἀει κατα ταυτα, ἐχων ἀκινητως, ἐτε πρεσβυτερον, ἐτε νεωτερον προσηκει γιγνεσθαι ποτε. ἐδε γεγονεναι νυν, ἐδ' εἰς αὐθις ἐσεσθαι, το παραπαν δε ἐδεν ὁσα γενεσις τοις ἐν αἰσθησει Φερομενοις προσηψεν, ἀλλα χρονε ταυτα ἀιωνα τε μιμεμενε, και κατ' ἀριθμον κυκλεμενον γεγονεν εἰδη — χρονος δ' ἐν μετ' ἐρανε γεγονεν, ἱνα ἅμα γενννηθεντες ἅμα και λυθωσιν, ἀν ποτε λυσις τις αὐτων γενηται. Και κατα το παραδειγμα της ἀιωνιε Φυσεως, ἱν' ὡς ὁμοιοτατος αὐτῳ κατα δυναμιν ἡ. Το μεν γαρ δη παραδειγμα παντα ἀιωνα ἐςιν ὀν. Ὁ δ' αὐ δια τελες τον ἅπαντα χρονον γεγονως τε και ὢν και ἐσομενος ἐςι μονος, δη εν λογε και διανοιας Θεε τοιαυτης προς χρονε γενεσιν, ἱνα γενννηθη χρονος, ἡλιος και σεληνη, και πεντε ἄλλα ἀςρα, ἐπικλην ἐχοντα πλανιται εἰς διορισμον και Φυλακην ἀριθμων χρονε γεγονε. i. e. *Cum igitur hoc a ſe factum ſempiternorum Deorum pulchrum ſimulacrum moveri & vivere Pater ille, qui genuit, animadverteret, delectatus eſt opere, & hac ductus lætitia opus ſuo*

ſuo multo etiam magis primo illi Exemplari ſimile reddere tentavit. Itaque quemadmodum illud ſempiternum animal eſt, ita univerſum hoc pro viribus tale facere ſtuduit. Illius quidem animalis æterna natura eſt, quod genito operi congruere omnino non poteſt. Idcirco imaginem ævi mobilem effingere decrevit, ac dum cœlum exornaret, fecit æternitatis in unitate manentis æternam quandam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocamus. Dies porro, & noctes, & menſes, & annos, qui ante NB. cœlum non erant, tunc naſcente mundo naſci juſſit; quæ omnia temporis partes ſunt. Atqui erat, & erit, quæ nati temporis ſpecies ſunt, non recte æternæ ſubſtantiæ aſſignamus. Dicimus enim de illa, eſt, erat, & erit. Sed illi revera ſolum eſſe competit. Fuiſſe vero & fore deinceps ad generationem tempore procedentem referre debemus. Motus enim quidam duo illa ſunt. Æterna autem ſubſtantia cum eadem ſemper & immobilis perſeveret, neque ſenior ſe ipſa fit unquam neque junior, neque fuit hactenus neque erit in poſterum, neque recipit eorum quidquam, quibus res corporeæ mobilesque ex ipſa generationis conditione ſubjiciuntur. Nempe hæc omnia temporis imitantis ævum, ſeque numero revolventis, ſpecies ſunt. — Tempus

vero una cum cœlo factum eſt, ut una orta, una etiam diſſolvantur, ſi qua his diſſolutio unquam contigerit. Et ad Exemplar æternæ naturæ ideo factum eſt, ut mundus hic illi præſtantiori, quoad poteſt, ſimillimus ſit. Ille enim mundus hujus Exemplar omne per ævum eſt. Hic vero perpetuo per omne tempus fuit, fitque ſolus, & erit. Hac ratione conſilioque DEI, tempus creare volentis, ſol & luna, & aliæ quinque ſtellæ, quæ vocantur erraticæ, factæ ſunt, quo temporis numerus diſtinguatur atque obſervetur. Locum illum prolixum ideo adduxi, uti *omnibus pateret*, quam nullo fundamento *D. G.* conjectura nitatur. Verbum ad illum addere nolo, cum nemo non videat, *adverſa fronte* pugnare ſententiam *Gundlingii* cum adſertis *Platonis.* Sed quæritur, inquit, an geneſis æterna ejus ſententiis ratis repugnet? nam materiam is certe genitam, eamque ſimul ἀϊ διον appellat. Ita eſt, materia dicitur ἀϊ διος, genita non item, niſi intelligas mundum ornatum, quæ non repugnant. Geneſin æternam ſententiis Platonis repugnare, omnia docent, quæ ſupra de origine mundi & liberrima Dei voluntate materiam in ordinem redigendi diximus; imo locus ille jamjam citatus haud obſcure

ſcure inſinuat, quid Plato & de origine mundi & temporis ortu ſenſerit. *Nec negligendum*, (ita pergit) *Platonem cœlum ac totum mundum pro Deo habuiſſe. Deus vero eſt æternus, habetque eſſentiam & exiſtentiam æternam; ſimiliter mundus igitur.* Provocat ad *Platonis Epinomidem*, in quo cœlum Θεος adpellatur, p. m. 636. Sed infirma eſt quammaxime illa ratiocinatio: Cœlum Deus vocatur, ergo cœlum eſt Ens perfectiſſimum. Novimus enim, & terram Dei nomine adpellatam, licet nemo forte ſit, qui credat, terram eſſe Ens perfectiſſimum. Vocat Θεον cœlum, quia animæ ſingulis aſtris attributæ ſunt. Hinc idem Plato eodem in dialogo pag. 922. verſ. Ficini: *Cogitemus igitur*, inquit, *quomodo fieri poſſit, ut tanta magnitudo ab aliqua natura poſſit tanto tempore circumferri. Ego igitur adſero, Deum cauſam eſſe, nec aliter fieri poſſe. Animatum enim non aliter, quam propter Deum fieri poſſet, ut nos declaravimus. Quoniam ergo id Deus facere poteſt, facile ipſi fuit primum omni corpori magnitudinique vitam tribuere: deinde, qua ratione optime fieri cogitavit, hac ducere. Demum de his omnibus veram hanc ſententiam ferri volumus: impoſſibile eſſe, terram, cœlum, ſtellasque omnes,*

& quæ ex his constant moles, nisi anima singulis aut adsit aut insit, adeo exquisita ratione annis, mensibus, diebusque circumvolvi, nobisque omnibus bona omnia facere. Hominem vero decet, quo vilior est, eo minus de ipsis nugari, sed conari potius certi aliquid dicere. Ita Plato. Ex quo patet ratio, cur cœlum inter Θεȣς referatur, simulque *Deum distingui a cœlo stellisque. Imo ipse articulus* ostendit, de Ente perfectissimo Platoni sermonem non esse, τινα δη, inquit, και σεμνυνων ποτε λεγω θεον, ὠ, Μεγιλλε τε και Κλεινια, σχεδον ȣ̓ρανον, *quem vero Deum laudibus, o Megille & Clinia, effero? cœlum ferme.*

Sect. XXXI.

Misere se torquet *D. Gundling.* Sect. 68. & 69. ut consequatur, quod intendit. Ita enim loquitur Sect. 68. *Id verum: Plato nihil pulchrius existimavit mundo: & Deus semper vult pulcherrimum, quod intelligit. Velle Dei nunquam non est actus: quin potentia in Deo est actus; itaque inde potius consequitur, pulcherrimum intelligibile esse quoque appetibile. Voluntas Dei non est vaga, sed definita: igitur nisi creasset illico mundum, definita voluntas non fuisset, sed incerta.* Ita *Gundlingius.* Nescio,

ſcio, utrum *D. Vir* ſuo hic, an Platonis nomine loquatur. Certe non ita ſentit *Plato*, ſed Spinoza. Propoſ. 34. Spinoza rotunde ait: *Dei potentia eſt ipſa ipſius eſſentia*; Propoſ. XXXV. *quicquid concipimus in Dei poteſtate eſſe, id neceſſario eſt.* Propoſ. XXXII. *voluntas non poteſt vocari cauſa libera; ſed tantum neceſſaria.* Et hinc emergunt *duo Corollaria*, quorum *primum* eſt, *Deum non operari ex libertate voluntatis.* 2. *Voluntatem & intellectum ad Dei naturam ita ſeſe habere, ut motus & quies, & abſolute, ut omnia naturalia, quæ a Deo ad exiſtendum & operandum certo modo determinari debent.* Propoſ. XXXIII. *Res nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuerunt, quam productæ ſunt.* In Scholio propoſ. XVII. pag. 17. & ſeq. *abſurdam ſententiam vocat eorum ſententiam, qui putant, DEUM per potentiam ſuam multa facere poſſe, quæ tamen non fiant.* Unde facile patet, quid de propoſitionibus illis ſentiendum ſit. Sane ſi potentia Dei eſt actus, ſequitur, omnia, quæ exiſtunt, neceſſario exiſtere, nihil amplius fieri poſſe, Deumque non cauſam liberam, ſed neceſſariam eſſe. Voluntas Dei non eſt vaga, ſed nec neceſſario agens. *Eodem argumento Gundlingii probarem,*

Deum ab æterno mundum & omnes Creaturas produxiſſe. Deus nimirum ab æterno intellexit, quæ creare voluit, vult ergo ab æterno, quod intelligit eſſe pulchrum. Mundum hunc pulcherrimum eſſe vidit; ergo ab æterno creavit; inſuper: Deus poteſt mundum producere, ergo ab æterno creavit, quia potentia eſt ab æterno eadem cum actu. Porro, voluntas DEI creandi mundum, non eſt vaga, ergo ab æterno creavit mundum, quia alias voluntas non eſſet definita, ſed vaga. Non opus eſt, ut quam falſa ſint hæc ratiocinia oſtendam. *Si Deus Platonis*, ita pergit, *voluit facere mundum voluntate interna, cujus mundi* πϱαδειγμα *erat in mente Dei: voluit certe producere ab æterno, & nunquam potuit non velle, quemadmodum ab æterno eſt, nec potuit non eſſe. Si aliquando non voluiſſet, ſed cœpiſſet velle; conſequeretur, ut 1.) vel non fuiſſet aliquando, quod eſt contrarium ſempiternitati & neceſſitati, qua Deus exiſtit; 2.) vel ejus diſcreparet voluntas ab eſſentia, quod evertit Numinis divini ſimplicitatem: vel denique 3.) Mutationis non eſſet expers, quod repugnat perfectioni.* Reſpondeo, 1. a voluntate Dei, quatenus pro attributo Dei eſſentiali ſumitur, ad executionem æter-

æternam ejusdem voluntatis, nulla eſt conſequentia. Deus ab æterno voluit, ſeu conſtituit me creare, ſed nec ideo ab æterno formatus ſum. 2. Quid juvat, tempus aliquod diſtinguere, quo noluit, tempus idem, quo voluit mundum condere? voluit, ſeu conſtituit ab æterno, ſuo tempore condere mundum. Voluntas Dei & res, quas vult facere, uti ſunt natura ſua diſtinctæ; ſic nulla eſt prorſus inter voluntatem & res, quas vult, neceſſaria connexio. Voluntas attributum Dei æternum eſt, & eo reſpectu etiam hoc vel illud ab æterno velle dicitur; ſed res, quas vult efficere, non ideo tamen æternæ ſunt, quandoquidem voluntas eſt facultas libera, quæ, prouti infinita ſapientia jubet, agit. 3. Sine dubio ſi Plato Deum mox volentem mox nolentem induxiſſet, vel non fuiſſe eum aliquando, vel mutabilem eſſe, ſequeretur. Sed cum hæc ſuppoſitio in *cerebro Gundlingii*, non *item Platonis*, nata ſit, non opus eſt, ut de abſurdis, quæ inde ſequuntur, quicquam dicamus. *D. G. Syſtema abſurdum primo fingit, deinde magna vi ſubvertit, quod facillimum eſt.* Non ſum ego ex iis, qui conſequentias cuiquam imponere velim, quas ipſemet deteſtatur. *Indignum eſt Viro honeſto &*

ſapientiæ ſtudioſo. Neſcio interim, quomodo *Cl. Vir* in ſententiam prolapſus ſit, quæ *periculoſiſſimis conſectariis obnoxia eſt. Potentia* in Deo ſemper eſt *actus. Velle Dei* nunquam non eſt *actus. Voluntas* eadem eſt cum *eſſentia.* Ex quibus propoſitionibus neceſſario ſequitur, *Deum nihil amplius creare poſſe, omnia, quæ ſunt, neceſſario eſſe,* & quidem *æterna, voluntatem* in Deo non *liberam* eſſe, ſed *neceſſariam.* Quæ quam abſurda ſint, nemo non videt. Non tamen, (ut denuo repetam) eum hæc credere puto, ſed *nimio me refellendi ardore* abreptum crediderim, cum hæc ſcripſerat. Si ego hæc dixiſſem, ſine dubio vapulaſſem. Sed præſtat ἀληθευειν ἐν ἀγαπῃ. Poſtquam illa conſectaria, quæ ex ſententia *Platonis*, vel potius ipſius, manare dixiſſet, in medium attulit, ſupponit hæc omnia Platonem ἀτοπα perſpexiſſe, atque adeo cauſam non eſſe, quominus mundum æternum finxerit Plato. De conſectariis illis jam diximus; nimirum, illa nituntur hypotheſi *emendicata* & a Gundlingio *efficta.* Sine dubio mundus eſſet ab æterno, ſi ab æterno eum voluiſſet condere Optimus Maximus. Impediens nullum fuit. Materia eſt res ad utrumque parata. Non prohibuit

buit internum quid. Voluntas enim Dei libera eſt, non eſt defectus virtutis, niſi dicas, Deum imbecillum eſſe, quod nos non creaverit ab æterno, quod ἄλογον. Voluntas Dei non ideo eſt temporaria. Non enim in arena capit conſilia. Voluntas reſpectu eſſentiæ ſuæ æterna eſt, ſed libera executio voluntatis in tempore demum locum habere poteſt. Neque ex nolente factus eſt volens. Voluit exornare rudem & indigeſtam molem, ſed definito ſuo tempore. *Qui voluntatem* (ita pergit Cl. Gundlingius p. 291.) *& eſſentiam divinam diverſam autumat, ſimplicitatem Dei ſubruit, eumque compoſitum efficit.* Neſcio, quid cogitaverit *ſubtiliſſimus Vir*, dum hæc ſcripſit. *Voluntas* enim Dei, licet ad Eſſentiam Dei pertineat, *facultas tamen eſt liberrima; Eſſentia* vero *divina* eſt *neceſſaria*; ergo quod Deus vult, non neceſſario vult, ſed libere quammaxime. Spinoza adſerit, voluntatem non eſſe cauſam liberam, ſed neceſſariam, uti ſupra jam ipſa ejus teſtantur verba. Neceſſaria ſine dubio eſt voluntas, quatenus ad naturam Entis perfectiſſimi neceſſario pertinet; ſed quatenus conſideratur reſpectu rerum, quas vult, minime neceſſaria eſt, ſed liberrima. At hic quæſtio eſt de

mundi Creatione. Quod ſi igitur voluntas Dei æque neceſſaria eſſet, ac ipſa Eſſentia Dei, ſequeretur, mundum ab æterno neceſſario extitiſſe, nulla eſſe contingentia, nulla poſſibilia, Deum Ens eſſe non libere, ſed neceſſario agens. *Hæc*, inquam, ex *ſententia Gundlingii ſequerentur.* Cum autem illa abſurda non admittat, patet, quid de fundamento, cui inædificata eſt adſertio *Cl. Viri*, ſentiendum ſit. Scio, illos, qui dicunt, Deum libere ab æterno mundum condere voluiſſe, in Spinozæ caſtra non transire. Sed *aliud eſt, dicere, Deum ab æterno libere voluiſſe mundum condere, aliud potentiam Dei eſſe ipſum actum; velle Dei nunquam non eſſe actum; voluntatem Dei eſſe ipſam ſententiam. Prius* nullam involvit contradictionem; *poſterius* autem mundi neceſſariam exiſtentiam aliaque abſurda inferret. Utrum Pythagoras, Parmenides mundi æternitatem profeſſi ſint, hic inquirere nolo. Quæritur? quid ſenſerit Plato? Perſpicuis locis probavi, eum mundi æternitatem negaſſe, hoc ſufficit. Non ſemel, dum hæc ſcripſi, mihi in mentem venit illud Poëtæ: *Quo ſe nunc proripit ille?*

Sect.

Sect. XXXII.

Sed redit tandem *D. G. ad T. Locrum*, probaturus, eum ipſum ſententiam de æternitate mundi adſtruere. Sect. enim 73. ita loquitur: *Sed age, ad T. Locrum redeamus, de tempore diſſerendum, qui iſtud* εικονα και παραδειγμα *æternitatis nominat. Si quid video, Locrus ait, tempus ratione noſtri ad exemplum æternitatis eſſe conferendum Ut enim æternitas eſt infinita exiſtentia, & tota ſimul vita, hoc eſt, ipſe Deus: ita tempus ſimiliter eſt infinitum a vita Dei profluens, qui Deus, dicente Boëthio, infinitum temporis iter arripuit, ut continuaret eundo vitam, quæ nunquam finietur: eoque mundus animatus hac vita, initium non habet, nec finem. Adeo verum eſt, invenire quemque, quod quærit.* Locum non adduxit, ne inſpici queat. Adduximus eum Sect. XXX. hujus diſſert. qui cum dicendis conferendus. Nimirum dies & nox *temporis partes* dicuntur, quas Deus εκοσμησεν συν κοσμω. Quemadmodum mundus dicitur γενναtος, ita & χρονος, quod infra textum non ſolum Editor obſervat, ſed & ipſa rei natura docet; cum enim *tempus* ſimul cum *mundo ortum ſit*, *mundus* autem γενναtος, ſequitur, *idem de tempore* dicendum. Probat præterea idem *comparatio*, quam inſtituit Locrus. Mundus hic

γενναtος

γενητος, factus eſſe dicitur ad παραδειγμα aliquod ἀϊδιον. *tempus vero* εἰκονα ἀιωνος Sequitur itaque, παραδειγμα *illud eſſe æternum, mundum vero factum; æternitatem diſtingui a* χρονω, *ut* παραδειγμα *illud æternum diſtinctum eſt a mundo, ad illud facto. Æternitas* igitur ſecundum Locrum competit illis ſolis, quæ *neceſſario* exiſtunt, *tempus* autem *rebus non neceſſariis*, ſed factis, & ab alio dependentibus. Atqui mundus ſecundum *Platonem & T. Locrum* incepit, aſtra, ad quorum curſum tempus metimur, cum mundo facta, ergo tempus etiam cum mundo exortum; mundus igitur initium habet, ergo etiam tempus: quod initium habet, neque infinitum, neque æternum dici poteſt; at habet mundus & tempus ſecundum T. Locrum initium, ergo & mundus & tempus finita ſunt. *Vita Dei & continuata ejusdem nec unquam interrupta exiſtentia, nonniſi mentis abſtractione inter ſe differunt; mundus* vero una *cum tempore*, ut ſine contradictione tanquam *non exiſtens* concipi poteſt; ita poſtquam ſemel exiſtere cœpit, *finitus eſt, æque ac tempus* fluxum eſt ac manebit. Quid ergo ſibi volunt illa *D. Gundlingii* verba, mundum vita Dei animatum? aut hac propoſitione intelligitur,

Deum

Deum ab æterno ſe cum mundo conjunxiſſe, adeo ut, poſita æterna Dei vita, ponatur ſimul æterna Dei duratio; aut Deum jugiter & æternum actuoſum voluiſſe mundum condere ſimul cum tempore. *Prior ſenſus* aperte contrariatur Locri verbis; is enim tempus demum cum mundo & ſtellis ortum eſſe perhibet. *Si poſterius*, mundus in tempore conditus eſt, & tempus cum mundo exortum. Tempus itaque non a vita Dei ſeu continuata exſtentia fluit; *Sed ut mundus a liberrima valuntate Dei* originem habet ſecundum Timæum, *ita ſimiliter tempus non a vita Dei, ſed voluntate ejus originem ſuam habet.* At inſtat Cl. Vir dicendo: *Inquis: mundus eſt genitus, genitum eſt poſterius; mundus igitur, tanquam genitus, erit poſterior gignente. Ego: qui poſterius dicit, ponit prius. In Deo non eſt prius, quia in ipſo non eſt poſterius, nec præteritum, ſed tantum EST, ac præſens: quare conſequitur, ut, DEI contemplatione, mundus non ſit poſterior, quia Deus alioquin fingeretur prior & poſterior. Mira* hæc eſt *ſubtilitas!* nimirum mundus conditus eſt ſecundum Locrum, ἐδαμιεργήθη, ergo mundus eſt æque æternus ac ipſe Deus. In Deo non eſt prius & poſterius, nec præteritum,

teritum, ſed præſens; Ergo in mundo a Deo condito non prius etiam eſt & poſterius. Si in mundo prius eſſet ac poſterius, ſequeretur, Deum, qui mundum contemplatus eſt, ſe ipſo priorem eſſe & poſteriorem. Quis autem non videt *ratiociniorum iſtorum vim & incredibilem efficaciam?* nimirum hæc omnia nituntur *ſuppoſitione de neceſſaria omnium rerum emanatione a Deo*, quæ adſertis Timæi evidentiſſime contraria eſt. *Quocirca mundum* (ita pergit D. G.) *nihilominus exiſtimare Plato potuit genitum à Deo æternum, quia eſt actus & vita infinita, ſic, ut vita mundi concipiatur tanquam linea continuata, tanquam radius lucis perpetuo coruſcantis. Cum vero lux iſta divina non unum emiſerit radium, ſed plures; hinc nunc demum, ratione noſtra contemplationis, oritur tempus, quod dimetimur ad aliud mente, gradusque confingimus, dum metimur.* Si hæc *Veteres explicandi ratio* valet, nihil non in poſterum *probabo.* Vellem etiam, ut metaphoricis locutionibus abſtinuiſſet. Omnia huc redeunt; mundum a Deo ab æterno emanaſſe, & hujus emanationis intervalla nos tempus vocare. Sed falſum eſſe prius, abunde jam ſupra oſtendimus; *meræ ergo ſunt hariolationes,* quæ de tempo-

tempore ex mente Timæi & Platonis dicuntur. Qui loca ſolum inſpicit ſupra citata, quam *hæc omnia contorta* ſint, videbit. *Supponit* identidem res omnes a Dei natura emanaſſe, *nec tamen probat.* Non diſputamus autem hic de abſtractis quibusdam veritatibus, ſed ſententia Platonis, quæ veterum teſtimoniis proponenda, & explicanda. Locrus mundum γενναῖον dixit, & tempus ſimul cum mundo initium habuiſſe. Quid igitur verbis opus eſt? cur reſtes nulli adſunt, quos magno numero ſe adducturum minatur? tædet eadem ſemper repetere. Locri & Platonis verba *clariora ſunt*, quam ut a *Gundlingio* in alium ſenſum trahi poſſint. Hæret ſemper *Cl. Vir* in voce γενναν, gignere, & inde argumentatur. Sed cur diſplicent verba κοσμειν, δημιεργειν, ποιησαι, quæ T. Locrus adhibet, cum de mundi origine loquitur? num Δημιεργος idem fit cum opere, ſimulac ei elaborando animum adjicit? quæ Sect 76. *in me effudit dicteria, lubens ſilentio tranſeo, laudes, quas ibidem ſibi tribuit, ei non invideo.*

Sect. XXXIII.

In tranſitu, *non argumenti alicujus* loco, ſed *illuſtrationis cauſa*, occaſione animæ mundi,

mundi, dixi, Viros quosdam Eruditos, naturam *quandam Plaſticam* dari, probare contendiſſe, eam cauſam eſſe multorum effectuum, quos in plantis, animalibus & homine ipſo obſervemus. Ille ait, hanc naturam plaſticam ex mente doctorum illorum Virorum *creatam eſſe. Hoc minime ignoravi;* ſed *eo tantum fine* ejus mentionem feci, ut oſtenderem, minime ex eo, quod natura animæ mundi divina dicatur, atque per omnes mundi partes diffuſa, ſequi, aut eam Deum ipſum eſſe, aut cum mundo prorſus conjunctam. *Tribus inſuper verbis dixi, Virgilium Æneid. 6. eleganter animam illam mundi deſcribere.* Occaſione hujus citationis prolixa adfert loca ex *Bibliotheca Critica R. Simonis*, qui contrarium ſentit. Imo Sect. 80. *vehementer lætatur, me in illa incidiſſe retia*, putans me circumventum, elabendi rimam nullam videre; animam enim illam mundi a *Virgilio* deſcriptam eſſe ipſum Deum omnibus partibus materiæ infuſum, & mille in partes ſciſſum. Jam ante *R. Simonium* idem ſenſerat *P. Baylius continuat. des penſées ſur les Cometes* pag. 119. ſq. Imo *Illuſtris Leibnizius, Vir philoſophiæ Veteris longe peritior R. Simone*, in eandem etiam conceſſit ſen-

ten-

tertiam. Sed his non obſtantibus, puto, in tantas anguſtias me conjectum non eſſe. Rationes, quas habeo, ſequentes ſunt. *Primo* fatebuntur omnes, qui *diſſertat. meam* legerunt, me in *tranſitu tantum* mentionem loci Virgiliani feciſſe. Quodſi igitur vel maxime locus ille mihi contrarius eſſet, nihil aliud ſequeretur, quam me *fruſtra ad Virgilium* provocaſſe. Sæpiſſime fieri ſolet, ut ad ſententiam noſtram confirmandam provocemus ad eos, qui verbis, non ſenſu, nobiſcum conſpirant. *Theologi* ſæpiſſime citant loca, quæ adverſa ſunt propoſitionibus, quas tueri volunt. Num autem inde ſequitur, *ergo omnia,* etiam *firmiſſima,* quæ adduxerant, aut *loca*, aut *argumenta*, vana ſunt? non putaverim. Quodſi igitur vel maxime fruſtra *ad Virgilium* provocaſſem, argumenta mea ſupra allata *pondus ſuum* non amitterent. *Secundo*, non puto tamen, perſpicuis locis probari poſſe, *excellentiſſimum Poëtam Spinozæ* ſententiæ addictum fuiſſe. Nihil dicam jam de locis, in quibus *præclariſſime* de Deo ſentit; ſed provocabo tantum ad quædam loca, quæ probare videntur, potius eum Epicuri in caſtra transgreſſum eſſe. In *Ecloga 6, ebrium Silenum* inducit ſecundum princi-

pia *Epicuri* de rerum omnium origine ita canentem:

Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque, animæque, marisve fuiſſent,
Et liquidi ſimul ignis: ut his exordia primis
Omnia, & ipſe tener mundi concreverit orbis.

Libro vero 2. *Georg.* culturam Philoſophiæ celebraturus ait: v. 475.

Me vero primum dulces ante omnia Muſæ,
Quorum ſacra fero ingenti percuſſus amore,
Accipiant: cœlique vias & ſydera monſtrent.

Hinc *verſu* 490.

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Atque metus omneis & inexorabile Fatum

Subje-

Subjecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari.

Conferamus cum his verba *Virgilii*, ad quæ provocat *R. Simon*: extant illa partim *Georg.* Lib. 4. v. 220. partim *Æneid.* VI. v. 724. In illo de apibus ita loquitur:(*)

Eſſe apibus partem divinæ mentis & hauſtus
Ætherios, dixere: Deum namque ire per omnes

(*) Si, qui hos antecedit, verſiculus conſulatur, ubi Poeta ita:

His quidam ſignis, atque hæc exempla ſecuti &c.

patebit, Virgilium minime de ſua, ſed de aliorum loqui ſententia. Poſito itaque, ipſum Epicuri additum fuiſſe Sectæ, quid impedit, quo minus per τὸ *quidam* Stoicos intellexiſſe putetur? Ita enim clare non tantum omnia, ſed totius etiam textus ratio cohæret: quæ in ſequentibus clariſſime innuit, Stoicos intelligi, ubi additur:

Scilicet huc reddi deinde, ac reſoluta referri
Omnia: nec morti eſſe locum, ſed viva volare
Sideris in numerum, atque alto ſuccedere cœlo.

Germaniſſima hæc Stoicorum decreta ſunt, nihil mori, cuncta reduci in primam materiam, & animam mundi ſeminales rationes comprehendentem, locumque iſta capere circa ſidera. Res in Stoicorum Scholis notiſſima, quam planam fecere LIPSIVS & GA-

Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.
Scilicet huc reddi deinde, ac reſoluta referri
Omnia: nec morti eſſe locum; ſed viva volare
Sideris in numerum, atque alto ſuccedere cœlo.

In hoc *Anchiſen* ita inducit loquentem:

Principio cœlum, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque aſtra,
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore Pontus.

Igneus

& GATAKERVS, quos vide. Nihil itaque Virgilius ad Platonem.

Igneus eſt illis vigor, & cœleſtis origo &c.

Priora loca cum *Epicuri Philoſophia* conveniunt, *poſteriora* cum *Platonicorum*, *ſi Gundlingium* audias, & *Spinozæ*. At Spinozæ ſententia de unica ſubſtantia, ex qua omnia inevitabili neceſſitate orta ſint, e diametro pugnat cum *Syſtemate Epicuri*, omnia fortuito atomorum concurſui attribuentis. Quemadmodum autem ignoramus, utrum *Virgilius* Eclog. ſexta in honorem Q. *Vari* (quocum ſub Silone philoſopho Sectæ Epicuri operam dederat) hæc recitet; an vero animi ſui ſenſa proferat: Ita pariter ignoramus, quorum ſententias ſequatur in poſterioribus locis. *Tertio:* Pone autem, *Virgilium* poſterioribus hiſce in locis *Platonem ſecutum*, & per mentem illam omnia pererrantem *animam mundi* intellexiſſe, tum nondum ſequitur, animam mundi & Deum unicam efficere ſubſtantiam. Provocarem igitur ad ea, quæ ſatis ſuperque de hoc argumento ſupra dixi. Probandum igitur incumberet *Gundlingio, partes R. Simonii tuenti*, Deum ipſum cum Materia confuſum & commixtum eſſe. *Quarto:* In gratiam tamen *Gundlingii* ſupponemus, *Dei* nomine *Virgilium ipſum*

Numen præſtantiſſimum intelligere. Probandum poſtea eſſet, verba, quibus utitur Poëta, *nonniſi ſenſu Spinozæ ſumi* debere. At hoc probatu quammaxime difficile eſſet; Quodſi enim ſententiam Auctoris alicujus explicare volumus, præſertim in rebus maximi momenti, tum, antequam conſectaria inde deducamus, aut *verba* debent ita *perſpicua eſſe, ut aliter intelligi non poſſint*, aut *aliunde nobis conſtare de mente Auctoris illius.* At neutrum hic locum habet. Ergo ſecundum omnem ſenſus latitudinem verba ejus ſumi non debent. Exemplo rem illuſtremus. Ponamus, nos aliunde neſcire, quem Deum nobis *S. Scriptura* colendum offerat, nosque incidere inter legendum in verba, quæ duriora prima ſpecie videntur, v. gr. *nos in Deo eſſe, vivere & moveri, Spiritum Dei omnia pervadere, nos templum eſſe Dei, divinæ naturæ participes factos, ex Deo natos &c.* facile poſſemus in eam ſententiam delabi, quam Spinoza & *Tolandus* inde eruerunt. Quamprimum autem aliunde conſtat, Numen aliquod ſapientiſſimum, liberrimum, ſanctiſſimum, a mundo & materia prorſus diverſum, colendum nobis offerri, videmus, verba iſta non eſſe ad vivum reſecanda, ſed aliter interpretanda.

tanda. Cum autem neſciamus, quid Virgilius de natura Dei ſenſerit, ſaltem cum nullibi animi ſui cogitata hac in parte expreſſerit, certo non ſcimus, quam poteſtatem ſingulis vocabulis & phraſibus tribuere debeamus. Sic quomodo Spiritus ille *intus alere, & totos per artus diffuſus eſſe dicatur*; qua ratione *mens illa toto corpore ſe miſcere, & per omnes terras ire* dici poſſit, definire non poſſumus. Sano poſſunt hæc ſenſu intelligi: nemo enim non novit, *phraſes Poëtarum* minime ſemper *urgeri* poſſe: *ignoramus* præterea, utrum Virgilius *ſuam*, an *aliorum* Philoſophorum exprimat *mentem*. Ponamus autem, aliunde nobis perſpectam eſſe mentem Virgilii circa hoc negotium, & Dei nomine intellexiſſe Numen præſtantiſſimnm, ab omni Materiæ labe longiſſime remotum, tum omnes clamarent, verba ipſius *ſecundum totam ſignificationis amplitudinem* ſumenda haud eſſe, ſed *convenienter ipſius decretis explicanda*. Ponamus, eum putaſſe, Deum eſſe *nobiliſſimam mentem*, ſed ſubtiliſſimo quodam vehiculo indutam, cujus ope omnia pervaderet, non tamen ita, quaſi ipſe in partes ſciſſus, ſed quod ope *rapidiſſimi illius vehiculi* omnia pervaderet, moveret &c. tum ſine dubio & hoc

ſenſu non nimis urgenda eſſent. Quis autem, cum hæc omnia neſciamus, non videt, tutius longe eſſe, â *periculoſis conſectariis abſtinere*, quam præſtantiſſimo Viro abſurdam ſententiam tribuere? Accedit, quod graviſſimi Theologi, cum de *Immenſitate* & *Ubiquitate* Dei locuti ſunt, phraſes adhibuerint, quæ, ſi *omnem vim verborum urgere vellemus*, *duriores ſunt.* Legatur cap. VII. & VIII. *Dogmat. Theolog. Petavii Lib. III.* in quo *Patrum* non minus, quam *Ethnicorum* de *Immenſitate* & *Ubiquitate Dei* cogitata NB. profert; heic multa obſervantur loca, quæ *prima fronte aſperiora* ſunt; *mitigata* autem, *innoxia* videbuntur, ſi ad *Scopum* eorum, qui hæc dixerunt, & *ſententiarum*, quas profitebantur, nexum attendamus. *Præſtantiſſimus Theologus*, ὁ νυν ἐν ἁγιοις, *H. A. Roëll*, *probaturus*, *Deum mentem eſſe præſtantiſſimam*, provocat ad conſenſum Gentilium; & inter alia etiam locum Virgilii: Spiritus intus alit &c. profert, pag. 64. diſſertat. de *Religione rationali.* Nemo tamen crediderit, eum Spinozæ ſententiæ addictum fuiſſe. *Quinto: Multum tribuo R. Simonio*, *Viro linguarum Orientalium & artis Criticæ peritiſſimo*; difficulter tamen eum probaturum, ſi viveret, credo,

do, quod contendit; nimirum, Veteres Sapientiæ Antiſtites in *univerſum omnes*, cum de Spiritibus locuti ſunt, nonniſi materiam aliquam ſubtilem intellexiſſe. Hoc verum, quod Spiritus ejusmodi ſubſtantiis aſſimilaverint, quod item corpore ſubtili & pellucido, tanquam vehiculo quodam, inſtructos crediderint; (*) quemadmodum plerique Eccleſiæ Patres idem aſſeruerunt: Sed quod omnem ſubſtantiæ intelligentis naturam ſubtiliſſimarum partium compoſitione abſolvi putaverint; hoc in univerſum perſpicuis teſtimoniis probari poſſe, diffido. Sic per *νοῦν Anaxagoræ* nonniſi ignem intelligi, quod *Simonius* contendit, probandum eſt quammaxime. *Verbo;* licet *D. Gundlingius magna pompa* contra me adducat *teſtimonium Simonii*; patet tamen ex lo-

(*) Neque tamen omnes, quibus plena manu adductis hoc præcipue accedit, Veteres plerosque materiæ mentem e diametro tum ratione naturæ, tum ratione dependentiæ oppoſuiſſe, uti tota philoſophorum hiſtoria clamat, nec negabit, niſi cui perfricta frons eſt. Unde non potuit illis mens eſſe materialis, quod recentiorum tantum inter Græcos commentum fuiſſe videtur, & forte Zeno Cittieus primus fuit, qui ita philoſophatus fuit, inter eos, qui præter materiam aliud principium ſive revera, ſive verbotenus admiſerunt.

corum adductorum inſpectione, *Simonium* quidem *dicere, minime* autem *probare*, niſi excipias locum Servii, cujus tamen Scholiaſtæ auctoritas tanta non eſt, ut dicamus, & *Platonem & Virgilium* ad ſenſum Spinozæ eſſe torquendum. Verum eſt, *Servium* ad verſum 219. Eclog. IV. *Virgilii* dixiſſe, & apes habere partem divinitatis. Sed quæritur adhuc, quo ſenſu hoc intelligendum ſit. Θειον *hoc idem eſſe, quod præſtantiſſimum, multis locis probat Cerda* ad hunc locum. *Didymus* opificium apis Θειον *vocat:* idem videtur adſerere Plutarchus, cum ait: ἀλλα την μελιτταν ἡμεις σοφην καλεμεν. Ex Commentario ejusdem *Servii* ad Lib. *VI. Æneid.* patet, eum potius *ſuam ſententiam* adferre, quam *unde hæc petiverit Virgilius, exponere.* Ad verſum enim 724. principio cœlum ac terras &c. ita loquitur: *Interrogatus Anchiſes, quare animæ velint reverti ad corpora, quaſi aliud dicit, tamen illuc recurrit, quod Græce* ὁ παν *dicitur, id eſt, quod omne eſt. Quatuor ſunt Elementa, terra, aqua, aër, æther:* & *Deus. Præter hæc nihil eſt aliud:* & *hoc mundum non poſſumus dicere. Nam mundus non eſt totum. Ergo Deus eſt quidem Spiritus divinus, qui per quatuor infuſus Ele-*

Elementa, gignit univerſa. Igitur ſi de Elementis & Deo naſcuntur omnia, unam originem habent, & par eſt natura omnium. Sed videamus, quid in nobis eſt à Deo: & quid a quatuor Elementis. Quantum datur intelligi, ab elementis habemus corpus, a Deo animam: quod ideo probatur, quia, quod eſt in corpore, terra, humor, anhelitus, calor (quæ omnia videntur, ſicut etiam Elementa) animus inviſibilis eſt, ſicut etiam Deus, unde originem ducit. Illa præterea irrationabilia ſunt, ſicut corpus. Contra Deus habet conſilium, ſicut etiam animus. Deinde elementa mutari videmus, quorum perire mutari eſt; ergo nec animus perit, qui inde originem non ducit. Nam pars ſemper ſequitur genus. Huc igitur tetendit primam intentionem ſuam, ut animos immortales diceret. Hactenus Servius. Ex quo patet, ipſum minime *ſenſum Virgilii collatione locorum e Philoſophorum decretis* petitorum *explicare*, ſed *ſimpliciter* in ſenſum inquirere, qui ſenſus etiam ita comparatus eſt, ut *Spinozæ* ſententiæ prorſus conformis non ſit. *Sexto:* quodſi *tandem Gundlingio concedam, Virgilium* loqui ex mente *Platonis* de anima mundi, nihil tamen lucrabitur. Non enim Rectorem Univerſi, ſed animam

mam mundi, neſcio, quomodo ortam & temperatam, mundi partibus infuſam eſſe, aſſerit Plato. Probandum igitur, Deum ipſum ex mente *Virgilii & Platonis in unam ſubſtantiam confuſum eſſe.* Sed *teſtimonium ſane R. Simonis hoc non conficit.* Unde patet, quid de *Illuſtris Viri* verbis, quæ Sect. 81. initio fudit, ſentiendum ſit. Adducto enim teſtimonio *R. Simonii*, ita loquitur: *Quo te nunc vertas, fere neſcio, niſi in R. Simonium excandeſcens, eum vilipendere incipias, quod ſoles facere, quando Scriptores Juniores aliter, quam tibi ſedet, Platonis doctrinas intelligunt, itemque exponunt.* Non iraſcor *Celeberrimo Critico, non perſpicaciſſimo Gundlingio* propter diſſenſum illum *in re leviſſima*, nedum ut tantis viris dicam ſcribam. Facere enim hoc ſolent *Doctores Umbratici.* Imo æquiſſimo animo fero, quæ *Incomparabilis Gundlingius* in hac ipſa Sectione contra me effudit *pleno horreo dicteria.* Quod ut pateat, ipſiſſima *Elegantiſſimi Viri* verba adponam. *Ita Te* (loquitur *Illuſtris Doctor Gundlingius*) *in gyrum volvit præſumtus error, ut nec videas, nec audias, ſed ſenſibus quibusque repugnes, nihilque argumenti admittas; utut putas, te audire, atque aliquando cogitas, te cupere doceri;*

cum

cum interea nec contrarias Demonſtrationes aſſenſu tuo digneris unquam, quia te intus agitat Spiritus Vertiginis, & mens tua magno ſe corpore miſcet Doctorum, quos idem adflavit Sydus & contra veritatem obduravit; ſemper recolendo toties vaniſſime prolata, mentem nimirum divinam & animam mundi a materia ſeparari. Hactenus *Excellentiſſimus Gundlingius.* De re ipſa judicium eſto penes eruditum Lectorem.

Sect. XXXIV.

Cl. Gundling. diſſert. Sect. 82. locum *Plutarchi*, quem fruſtra adductum dixeram, vindicare nititur. Nimirum ex illo voluit probare, Deum Platonis Univerſum, materiam, mentem, animam, mundum, unius rei diverſas tantum denominationes eſſe. Oſtendi *diſſertat. meæ* pag. 933. *Plutarchum* in citato loco aliorum Philoſophorum referre ſententias, & adduxi ipſa Plutarchi verba, in quibus eorum opiniones refellit. Quamvis hoc negare haud poſſit *Cl. Vir*, contendit tamen, *Plutarchum* ſententiæ ſuæ favere; *In cauſa primaria*, inquit, *Chæronenſis ingenue fatetur, omnes res ſiugulares conſtare ex intelligente & ſenſili: intelligens eſſe formam, ſenſile materiam. Forma vero*

ſicuti

sicuti naturæ cuique complementum dat; ita claret, divinam istud efficere substantiam, cujus particeps sit materia: mundi vero animam amplius aliquid continere præter intelligibile ac sensile, quod est in rebus universis. Sed verba ipsa Plutarchi adferenda fuissent. *Plutarchus* recensuit *Celeberrimorum Philosophorum, Crantoris & Xenocratis* sententias de procreatione & natura animæ mundi; quibus adductis, ita ait: *Mihi, si probabilitas pro regula judicandi sit habenda, utrique videntur a Platonis opinione aberrasse: Si non propria placita concinnare, sed consentientia Platonis sententiæ dicere sit propositum.* Addit jam rationem pag. m. 490. ἡ μεν ἐκ τῆς νοητικῆς και τῆς αἰσθητικῆς ὀυσιας λεγομενη μιξις, ὀ διασαφειται πη ποτε ψυχης μαλλον, ἡ των ἀλλων, ὁ, τι ἀν τις ἐιπῃ, γενεσις ἐςιν. αὐτος τε γαρ ὁ κοσμος ὀυτος, και των μερων ἑκαςον αὐτȣ, συνεςηκεν ἐκ τε σωματικης ὀυσιας και νοητης. ὡν ἡ μεν ὑλην και ὑποκειμενον, ἡ δε μορφην και ἐιδος τῳ γενομενῳ παρεχε. Και τῆς μεν ὑλης το μετοχῃ και ἐικασιᾳ τȣ νοητȣ μορφωθεν ἐυθυς ἁπτον και ὁρατον ἐςιν, ὁ ψυχη δε πασαν αἰσθησιν ἐκπεφευγεν. i. e. *quippe illa e mente comprehensibili & sensili natura mixtione, quam dicunt, non declaratur, qui animæ magis, quam aliarum quarumvis rerum sit procreatio. Nam cum ipse mun-*

mundus, tum quælibet ejus pars, ex iſtis duabus conſtat natu is: quarum hæc materiam & ſubjectum, illa formam & ſpeciem rei naſcenti præbuit; & quicquid materiæ informatum eſt, participatione atque adſimilatione intelligibilis (ſic enim liceat vocare eam, quæ ſola mente percipitur) naturæ hoc ſtatim conſequitur, ut tangi viderique poſſit. Anima autem omnem ſenſum ſubterfugit. Ex hoc loco Plutarchi patet, minime eum exiſtimare, τα νοητα και τα αἰσθητα in unam maſſam ſeu ſubſtantiam confundi, nedum Deum ipſum cum mundo miſceri; ſed hoc tantum vult Plutarchus, fruſtra Philoſophos quosdam, naturam animæ mundi ejusque originem explicaturos, provocare ad commixtionem animæ & rei ſenſibilis. In omni enim definita corporum ſpecie occurrere materiam & formam, quæ forma aliunde acceſſerit, re nimirum intelligente; animam autem mundi jam in confuſa illa materiæ mole præextitiſſe; quæ poſtea latius exequitur. Pag. m. 635. expreſſe ait: *Qui vero materiam corpoream miſceri cum individua volunt, errant. Primum in eo, quod nullo corporeæ materiæ nomine heic utitur Plato: quam alias receptaculum, omnium rerum capa-*

capacem & nutricem ſolet dicere, non circa corpora dividuam, ſed ipſam corpus, quod in ſingularia dividatur. Deinde, quid intererit inter mundi & animæ procreationem, ſi utrumque ex materia & intelligibilibus eſt conſtitutum? Ipſe quidem Plato, quaſi abominans animæ ex corpore ortum, ait, intus in ea corporeum fuiſſe a Deo collocatum, foriſque ab illa occultatum: cumque totam animam ratione abſolviſſet, deinde argumentum de materia proponit, qua ante, cum animam crearet, nihil opus habuerat, utpote ſine materia natam. Idem, ut notum eſt, pag. m. 630. *duplicem animam effingit*, ut cauſam inveniat turbulenti illius motus in materia prima. Adeo ut præter Deum habeamus duplicem animam una cum materia. Eas autem ſubſtantias in unum confuſas, nullibi docet; adeo ut cætera, quæ in hac Sectione profert *Gundlingius*, *mera ſint figmenta, nullo teſtimonio ſubnixa.* Sect. 83. denuo urget tria illa principia Platonis, &, quocunque demum modo intelligam, putat, neceſſario inferri, Deum cum mundo unicam efficere ſubſtantiam. Non ſemel in ſuperioribus de hac re dixi; dixi in *Platone* & *T. Locro* Deum deſcribi tanquam

quam Ens excellentiſſimum; νεν tanquam παραδειγμα æternum, & per ſe ſubſiſtens; animum mundi tanquam cauſam quandam ex diviſibili & indiviſibili temperatam, omnia tamen in mundo viſibili pervadentem & fœcundantem, ejus autem originis veſtigia certa in *Timæo* haud reperiri; recentiores autem Platonicos adſerere, τον νεν a Deo, animam mundi a ſecundo principio ortas eſſe, omnes autem propriam ſubſiſtentiam habere. Urget igitur D. G. & priorem & poſteriorem ſententiam. *Quod ſi igitur*, inquit, *proprietates unius Dei tantum hypoſtaticis nominibus ſunt conveſtitæ, Deus unus erit in omnibus rebus, earumque ultimum complementum conſtituet, pervadetque omnia, velut materia Carteſii ſubtiliſſima.* Argumentum ergo *Gundlingii* huc redit: *Anima mundi & Deus unum idemque ſunt: anima mundi omnia pervadit, atque cum mundo commiſcetur: Ergo Deus etiam cum mundo commiſcetur.* Nihil jam dicam de *majore propoſitione.* Supponam, illam veram eſſe. Omnis quæſtio redibit ad *minorem.* Quæreretur nimirum, utrum anima illa mundi, vel Deus cum mundo, unicam efficiat ſubſtantiam. Ad nauſeam uſque dixi, hanc propoſitionem

non eſſe ſupponendam, ſed probandam. Velim igitur præter dicta obſervari. Primo, apud *T. Locrum* & *Platonem* non ſolum deſcribi materiæ in confuſione jacentis ſtatum, ſed & *clariſſime doceri*, aſtra, terram, ſolem, &c. extitiſſe, vel antequam ulla mentio fit animæ mundi, mentio etiam fit ſubſtantiarum intelligentium, quas anima mundi in corpora humana deduxit. Vide *T. Locrum* pag. 556. Erant igitur ante miniſterium illud animæ mundi infinitæ jam ſubſtantiæ. Neque enim Sol, aſtra, terra, &c. accidentia ſunt. Quod ſi dicas, Deum hæc in ordinem digeſſiſſe, animam autem mundi unum cum Deo eſſe; tum velim mihi explicari verba T. Locri, quæ pagina jamjam citata ita ſonant: *Jam vero poſt mundi conſtitutionem, mortalium animantium generationem molitus eſt Deus, ut ad imaginem illam perfectus plane eſſet atque abſolutus. Humanam igitur animam ex iisdem rationibus atque potentiis temperatam atque diviſam diſtribuebat, naturæ alteratrici hoc tributo Miniſterio: quæ acceptis harum rerum mandatis ipſius Opificis quaſi vicem obivit in mortalibus & diurnis animalibus efficiendis, quorum animas quaſi per fluxum quendam inſtillabat.* Hactenus

ſtenus T. Locrus. Si autem Deus idem eſt cum anima mundi, cur tam clare a ſe invicem diſtinguit, Deum a Miniſtro illo? Secundo: videamus autem diſtincte, utrum Deus cum mentibus, corporibus inanimatis, animatis, ſeſe conjungens fiat unica tantum ſubſtantia. Quod mentes noſtras attinet, dicuntur illæ circa aſtra fuiſſe vel antequam ab anima mundi in corpora deducebantur; erant igitur ſubſtantiæ: non enim poteſt accidens migrare de ſubjecto in ſubjectum. De *earum origine* ne verbo quidem meminit *Locrus*. Quomodo igitur fieri poteſt, ut mentes illæ, quamprimum Deus in illis operatur, ſubſiſtentiam ſuam propriam amittant? De hac re prorſus ſilet Plato. Corpora, antequam in ordinem redigerentur, Deusque ea elaboraret, erant ſine dubio ſubſtantiæ. Rudis enim indigeſtaque moles non minus eſt ſubſtantia, quam pulcherrime fabrefactum corpus. Quemadmodum igitur prima Dei operatio in materiam non obſtitit, quo minus ille a mundo ſecretus ſit; ita pariter nec conſervatio illius & gubernatio obſtat, quo minus Deus & materia diverſæ ſint ſubſtantiæ. Quod corpora animata tandem ſpectat, certum eſt, ea vi-

vere. Ita vivunt animalia, homines. Quæritur, utrum Deus immediate hoc efficiat, an vita illa a ſubſtantia intelligenti repetenda ſit, an natura quædam plaſtica, corporibus inſerta, hoc efficiat, an ex mechanicis hæc omnia legibus repetenda ſint. Nullibi de his quæſtionibus perſpicue mentem ſuam aperuit Plato. Quando igitur vel maxime verum eſſet, Deum ire per omnes terras, tractusque maris, Deum vitam omnibus dare, nondum tamen pateret, quouſque hoc extendendum ſit. Deus ex noſtro Syſtemate ſingulis momentis vitam meam conſervat. Vox conſervationis non eſt vocabulum ſenſu vacuum. Ipſius conſervationis perſeverantia, & conſtans effectus, nexum aliquem intercedere probat inter voluntatem Dei & vitæ meæ prorogationem. Deus ex ſententia mea non eſt extenſus, ſed nobiliſſima mens, intelligendo, volendo actuoſa. Intellectus Dei res non producit, ſed voluntas. Voluntate ergo Dei fit, ut vivam. Hæc voluntas non eſt nuda velleitas, ſed voluntas cum potentia & effectu conjuncta. Quomodo autem probabitur, Deum, ſive animam mundi, vitam omnibus largientem, unam cum hominibus & animalibus

malibus substantiam fieri? Quibus ex principiis hoc demonstrabitur? Num forsan adsunt testimonia meridiana luce clariora? Proferantur ergo; anima illa mundi vel Imperio Dei obnoxia, *Locro* tamen p. 548. dicitur δυσμικτος, difficulter suscipiens mixtionem: & pag. seq. ἀν συνεταξατο ὁ Θεος, quam ipse Deus exornavit. Demonstrandum igitur est vel *testimoniis* vel *ex principiis Platonis*, Deum alia ratione se cum mundo conjungere non posse, quam per commixtionem & coalitionem in unam eandemque substantiam.

Sect. XXXV.

Ostendimus hactenus, minorem propositionem non inferre id, quod contendit Illustris Vir. Sed nec major propositio probari potest. Quod si enim Platonis & Platonicorum Scripta diligenter evolvamus, clarissimum erit, non unum in divinis dari principium, sed tria diversa, gradibus perfectionis inter se distincta. Invenimus *Deum* των παντων Δημιουργον; τον νουν, seu æternum aliquod παραδειγμα rerum intellectualium; *animam mundi*, substantiam a primo & secundo diversam. Primum excellentius secundo, & secundum tertio; singula tamen Platoni

θεος. Quid autem ex hac ſententia ſequitur? *Tum*, inquit pag. 315. *Plato erit Tritheita.* Sit ergo *Tritheita Plato.* Ergo non eſt *Spinoſiſta.* Qui enim tres per ſe ſubſiſtentes naturas agnoſcit, non unicam dari ſubſtantiam fatetur. *Tu vero* (inquit,) *tandem fateri cogeris, tertium Deum eſſe conjunctum cum rebus omnibus, niſi ſimul & primus ſit & ſecundus.* Imo vero fateor, animam mundi, tertiam illam ſubſtantiam, quam θεον etiam adpellat Plato, omnia fœcundare, ire per omnes terras, tractusque maris, cœlumque profundum &c. num igitur probatum eſt, etiam Deum vel mentem idem præſtare? Dedi enim, quod jubet D. G. p. 316. cuique principio ſuam hypoſtaſin. Deus, nobiliſſima mens, per ſe exiſtit; νους per ſe exiſtit; anima mundi omnia tranſiens per ſe exiſtit. Deus ergo, ſeu mens prima, non eſt conjunctus cum materia; ſecundum principium non eſt conjunctum cum mundo; ergo reſtat tertia ſubſtantia anima mundi. *Optet* (ita pergit,) *ſententiam quæ placet: det cuique principio ſuam hypoſtaſin: adimat rurſum, & ex tribus unum conficiat: omni a latere nil lucrabitur. Erit Deus in omnibus, & cum omnibus, ſive mundi animum dicat, ſive cum*

Spinoza

Spinoza Deum ſimpliciter nominet. Liberalitate Cl. Viri uſus ſum. In priore argumentatione ſuppoſui, Deum & animam mundi unum idemque eſſe; neque tamen probatum eſſe vidi, Deum ideo cum mundo unicam fieri ſubſtantiam. Hoc in loco tria illa principia à ſe diſtincta eſſe poſui. Probandum igitur mihi eſt, primum & ſecundum principium etiam cum mundo conjungi, quando animam mundi materiæ aliqua ratione conjunctam conceſſero. *Petitam*, inquit, *ut hæc ſingula probem diſtincte, inane eſt ac phantaſticum.* Mihi vero illi deridendi videntur, qui non ſine ſupercilio Dictatorum inſtar quælibet effutiunt, & onus tamen probandi a ſe rejiciunt. Sine dubio vinceret *fortiſſimus Antagoniſta*, ſi tria illa principia *in unum conjungerem*, & poſtea *arctiſſime cum materia* copularem. Sed *teſtimoniis*, *teſtimoniis* inquam perſpicuis, opus eſt ad utramque ſuppoſitionem probandam. In tranſitu heic mentionem faciam retorſionis, quam Sect. 84. a ſe amoliri conantur *D. Gundlingius.* Pag. 931. *diſſertat. meæ* inter alia contra ipſum hoc uſus ſum argumento: Si materia ex ſinu Dei expulſa fuit, anima mundi ſubtiliſſima eſt materia, idemque cum

primo & ſecundo principio, quod contendit *D. Vir*: tum falſiſſima eſt hypotheſis *Gundlingii*, quia argumentum plus probaret, quam probandum erat: probaret enim, in Syſtemate Platonis intellectuales ſubſtantias nullas dari, quod univerſæ philoſophiæ Platonicæ contrarium eſt. Hanc *argumentationem injuſtam eſſe* ait, quoniam animam mundi materiæ Carteſii primæ *ſimilem* eſſe dixerit, non ipſam *materiam ſubtilem*. Et ut *immane* hoc *diſcrimen* capiam, ita ſeſe explicat *Humaniſſimus Vir* pag. 317. *Similitudo minime facit, ut comparatum cum re fiat illa ipſa res, ad quam componitur. Confertur naſus dilectæ Sponſæ a Solomone turri, quæ ſe extollit in monte Libanon: propterea vero naſus iſte, utut egregius, non eſt turris in Libanon. Puto me a te iri intellectum: nec naſum Sponſæ te commixturum eſſe cum turri.* Σοφως. *Elegantiſſimi Vir Ingenii* hæc dicere non potuiſſet, niſi in re tanti momenti ad *Sacras Literas provocaſſet*. Ad rem ipſam quod attinet, perinde eſt, utrum hoc argumentum admittat nec ne; neque enim illi innitor. Hoc tantum dicam, *me bis* in *diſſertat. mea* dixiſſe, *Cl. Virum* animam mundi materiæ ſubtiliſſimæ Carteſii *ſimilem* eſſe perhibere,

hibere, *quod tacendum non fuit.* Interim fateor, me *nondum videre*, in quo peccaverim. Statuit, *a Deo & ex Deo omnia emanaſſe, effluxiſſe, materiam e ſinu Dei projectam, ubi emanatio ſit, ibi fluxum proprie dictum locum habere, adprobat ſententiam R. Simonii, adſerentis, veteres per intelligentias ſubſtantiam igneam intellexiſſe,* ταγαθον *Platonis (pag. 350.) in igneam abire ſubſtantiam, mentes noſtras decerptas eſſe ex divinitate, & ex his omnibus unicam fieri ſubſtantiam.* Neſcio igitur, ubi maneant ſubſtantiæ intelligentes. Et quod animam attinet, comparavit illam materiæ *ſubtiliſſimæ Carteſii*, vel *reſpectu corporis ſubtilis*, vel *reſpectu rapidiſſimæ agitationis;* quocunque ſenſu ſumat, *anima illa mundi corpus erit.* Si dicat, illam quaquaverſum rapidiſſime ruere, *mentem tamen eſſe a materia ſecretam*, tum fruſtra *toties totiesque* ad fluxum, ad ſeparationem provocaret. Sed uti dixi, huic argumentationi non inhæreo, licet nihil, quod alicujus momenti ſit, regerere poſſit *Doctiſſimus Vir.* Interim ut ſuſpicionem a ſe amoliatur, Sect. 86. aperit, quid de animis & intelligentiis Platonicis ſentiat; fatetur, eas eſſe divinæ naturæ conſortes, decerpta animæ mundi, ſive Dei;

provocat ad quæſtiones Platonicas Plutarchi, unde concludit, differentiam inter animam mundi, & inter Deum talem eſſe, qualis inter totum & partem. Proferamus autem locum Plutarchi integrum, ut de concluſione rite judicare poſſimus. Pag. 406. quæſtionem illam proponit: Τι δη ποτε τον ἀνωταλω Θεον παλεπα παντων και ποιητην προσειπεν; — ἡ διαφερει πατηρ τε ποιητε, και γεννησεως γενεσις. ὡς γαρ το γεγεννημενον, και γεγονεν, ἀ μηνι ἀναπαλιν, ἑτως ὁ γεννησας και πεποιηκεν. ἐμψυχε γαρ γενεσις ἡ γενεσις ἐστι. Και ποιητε μεν, ὁιος οἰκοδομος, ἡ ὑφαντης, ἡ λυρας δημιεργος, ἡ ἀνδριαντος, ἀπηλλακται το γενομενον ἐργον. ἡ δε ἀπο τε γεννησαντος ἀρχη και δυναμις ἐγκεκραται τω τεκνωθεντι, και συνεχει την Φυσιν, ἀποσπασμα και μοριον ἑσαν τε τεκνωσαντος. ἐπει τοινυν ἀ πεπλασμενοις ὁ κοσμος, ἀδε συνηρμοσμενοις ποημασιν ἐοικεν, ἀλλ' ἐστιν αὐτω μοιρα πολλη ζωοτητος και θειοτητος, ἡν ὁ Θεος ἐγκατεσπειρεν ἐφ' ἑαυτε τη ὑλη και κατεμιξεν, εικοτως ἁμα παντε τε τε κοσμε ζωε γεγονοτος, και ποιητης ἐπονομαζεται. Τουτων δε μαλιστα της Πλατωνος ἀποτομενων δοξης, ἐπισκεπτεον εἰ κακει λεχθησεται πιθανως, ὁτι δυοιν ὀντων, ἐξ ὡν ὁ κοσμος συνεστηκε, σωματος και ψυχης. Το μεν ἀπ ἐγεννησε Θεος, ἀλλα της ὑλης παραλαμβανοντος, ἐμορφωσε και συνηρμοσε, περασιν οἰκειοις και σχημασι δησας και ὁρισας το ἀπειρον. ἡ δε ψυχη, τε μεταλαβουσα και λογισμε και ἁρμο-

ἁρμονιας, ἀκ ἐργον ἐϛι τϛ Θϵϛ μονον, ἀλλα και μϵρος. ἀδ' ὑπ' ἀυτϛ, ἀλλ' ἀπ' ἀυτϛ και ἐξ ἀυτϛ γϵγονϵν. i. e. *cur ſupremum Deum omnium Patrem & Opificem appellavit? — aut intereſt aliquid inter Patrem ac Opificem, procreationem & ortum? Sicut enim quod procreatum eſt, id omnino etiam ortum eſt, non viciſſim: ita qui genuit, is etiam fecit. Ortus enim animati, eſt procreatio. Tum Opus ab Opifice confectum, ut ædificatore, textore, lyræ fabro aut ſtatuario, prorſus ab Authore ſuo abſcedit. Vis autem & principium procreantis inſita eſt progenies, ejusque continet naturam, portiuncula quædam a genitore avulſa. Quando itaque mundus non effictis aut compactis operibus ſimilis eſt, ſed magna ei ineſt pars vitæ atque divinitatis, quam à ſe Deus materiæ inſeruit atque admiſcuit: haud injuria juxta & Pater mundi, qui vivens extitit, & Opifex appellatur. Hæc cum maxime ad Platonis ſententiam accedant, conſidera, an & hæc probabiliter dici poſſint. Cum mundus conſtet ê duabus partibus, corpore & anima; corpus quidem non genuit Deus, ſed a materia exhibitam conformavit ac concinnavit, ſuis terminis ac figuris devinciens definiensque infinitum. Anima autem mentis, rationis, concentusque particeps, non*

non opus modo, ſed & pars Dei eſt, neque ab ipſo facta, ſed de ipſo extitit. Ad hoc teſtimonium *Plutarchi* ſequentia noto: Primum; explicationem vocis *Patris ſubtiliorem* videri quam *veriorem.* Innumera ſunt *Græcorum* & *Latinorum* Poëtarum teſtimonia, in quibus Jovem omnium rerum *Parentem* dicunt, licet de generatione tali ne cogitaverint quidem. Imo ſi voci huic inhærendum eſſet, cauſam non viderem, cur ad corpora hæc generatio ſeſe non extenderet. Secundo; quamvis multum tribuam Viro πολυμαθεςατῳ, major tamen penes me eſt *auctoritas Platonis* & *T. Locri.* Plato in *Timæo* & *Locrus* ex profeſſo originem rerum omnium deſcribunt, hujus tamen emanationis animæ mundi ex Deo mentionem non faciunt. Nemo igitur mihi vitio vertere poſſit, ſi de explicatione Plutarchi, *Viri alias doctiſſimi & Platonicæ Philoſophiæ peritiſſimi dubitarem.* Dicit Plato in Timæo, Deum animum in medio mundi collocaſſe, corpore circumdediſſe, originem non pandit; imo verba adfert, quæ nullam ejusmodi ſuſpicionem in nobis excitant: Τὴν δε δὴ ψυχὴν, inquit, ἀχ' ὡς νυν ὑςεραν ἐπιχειρεμεν λεγειν, ἀτως ἐμηχανησατο καὶ Θεος νεωτεραν: i. e. *Sed animum haud ita, ut*

ut modo locuti ſumus, molitus eſt poſteriorem & juniorem. Vox ſane ἐμηχανήσατο nullam *emanationem* denotat. Iterum: Ὁ δὲ Θεὸς καὶ γενέσει καὶ ἀρετῇ πρότερον καὶ πρεσβύτερον ψυχὴν σώματος ὡς δεσπότην καὶ ἄρξουσαν ἀρξομένου συνεστήσατο. i. e. *Deus autem & ortu & virtute antiquiorem genuit mundi animum, eumque ut Dominum & Imperantem obedienti præfecit corpori.* Provocat quidem *Cl. Vir* ad vocem γεννήσας: Sed reſpondi jam diſſertat. meæ p. 947. voces γεννήσας, ποιήσας, τεκταίνεσθαι, μηχανᾶσθαι, δημιουργήσας *frequenter* & *promiſcue* quidem adhiberi â Platone in hoc negotio. Et ne videar ſolus pertinaciter huic meæ adſertioni inhærere, provoco ad *Ab Gravium*, quem Sect. 28. *ſententiæ ſuæ teſtem eſſe perhibet.* Is *Lib. III. Cap. XVIII.* p. 569. ita de mundi anima loquitur: *Hæc vere mens omnia hactenus de animo dicta tuetur: Dei ſcilicet conſilium fuiſſe, naturam perfectam formare, quam excellentiſſima virtute circumdaret exornaretque, ita ut quemadmodum & ipſe divina ſua virtute creaſſet naturam, ita & ipſa natura, velut Dea quædam, creatum illum ordinem atque poteſtati ſuæ relictum efficax gubernaret. Diſtinguens naturam, quam & improprie aliquando Deum vocat, a* Δημιουργῷ *ſive Opifice Philoſo-*

loſophus, ut in Philebo pag. 28. legere eſt non uno loco, nec ſeparat naturam a Dei Imperio, aut æternam ſimpliciter conſtituit, ſed naturæ vim mirabilem & conſtantem agnoſcit, cujus nutu & imperio res ſingulares quotidie procreentur, ita ut inter omnes mutationes ipſa immobilis maneat. Nequaquam, inquam, eam naturam e rerum creatarum numero eximit; ſed toties inculcat, eam eſſe a Deo factam & ejus eſſe miniſtram, nec non cauſam proprie, ſed συναιτιον. *Neque veram ei Divinitatem, ſed* ἐπισκευὰςην *in Politico tribuit; quæ mens ejus e vocibus ſubinde* γεννησομενα Θεα, γενητα, νεωτερα & *oppoſitis* τα ἀει, ἀυτοαει Θεα &c. *additis pateſcit, & ipſe Timæus in Autographo Deum formæ & materiæ principium, naturæ auctorem vocat.* Ita *Gravius.* Tertio: Si *Plutarcho* concedam, eam eſſe ſententiam Platonis, tum nihil aliud ſequitur, quam hoc, intellectualem quandam ſubſtantiam a Deo & ex Deo ortam modo nobis hominibus imperſcrutabili. Probandum, hanc animam dein cum mundo ita eſſe connexam & copulatam, ut unam eandemque cum mundo efficiat ſubſtantiam. In eadem Sectione *Plutarchus* haud obſcure hoc ipſum negat. *Quivis noſtrûm*, inquit, *intus vitalem vim mortali*

mortali ac diſſolubili corpore continet. In mundo contra a principe parte, & ſemper eodem modo ſe habente, corporea perpetuo conſervatur natura in medio ſita. Et vero diverſis modis ſenſile & ſola mente perceptibile dicuntur individua eſſe, nullamque admittere partitionem. Illud ob exiguitatem, hoc ob ſimplicitatem ac ſinceritatem, & quod omnis privationis expers eſt atque differentiæ. Quin & alioquin ſtolidum eſt corporeis rebus judicare de incorporeis velle. Quarto: Verba illa Plutarchi *corpus non genuit Deus &c.* ſatis ſuperque oſtendunt, *Plutarchum adſeruiſſe*, duo dari ex mente Platonis *æterna & per ſe ſubſiſtentia principia*; igitur non *una* tantum datur *ſubſtantia.*

Sect. XXXVI.

Cl. Vir Sect. 88. & 89. *detorquet* ſententiam meam, *ut habeat, quod exagitet & carpat. Cl. Viri* verba hæc ſunt: *Quocunque te convertas, Trinitas Platonis aut monſtrum evadet, aut nominalis tantum Trinitas dicetur. Fac enim ideam a primo Ente diverſam, tum omnes ideæ reliquæ ab idea & exemplo emanantes ſeparatim exiſtent, quod Ariſtoteles objecit Magiſtro, & abſurditatem continet.* Reſpondi *pag. 937.*

ita:

ita : *Supponamus, Platonem dixiſſe, ideas omnium rerum eſſe in Deo & quidem a Deo ipſo, tanquam ſingulares quasdam ſubſtantias, diſtinctas. Num adeo monſtroſa eſt hæc opinio? Quæritur itaque, utrum ſententia de ſubſiſtentia τῶν λογων & idearum monſtroſa & abſurda ſit.* Ille vero initio Sect. 88. ita ait: *Id vero penitus abſurdum eſt, quod Apologeta κατ' ἄνθρωπον in me obvertit. Nam cum ſcripſiſſem, ambiguum videri, an Plato attributa ipſa deſcripſerit ὑποστατικως ac λογος, ἰδεα, ψυχη, deſignent tantum ſapientiam, voluntatem ac potentiam divinam: quærit is, ſit ne hæc opinio adeo monſtroſa? in quo, quam is κρινομενον ignoret, ſuo ſe indicio prodit.* Ita patet, quam *candide* mecum egerit *Vir Illuſtris.* Interim *dum carpit, docet.* In eadem enim Sectione *præclare monet,* attributa Dei eſſe ipſum Deum, potentiam Dei ipſum Deum; ſapientiam Dei ipſum Deum. Vix tamen hoc monuit, denuo *meam ignorantiam* circa ideas in apricum profert. Sect. 89. *E ſimili penu,* inquit, *venit, quod Apologeta de ideis foris dat. Mox etenim de ideis divinis nihil ſe intelligere, mox extra Dei intellectum eas poſitas facilius putat defendi, mox quomodo eadem res diverſa ratione ita modificari poſſit, ut ſit aliquando*

quando arbor, planta, anima, capi poſſe negat: ipſe haud dubio inſcius, quid loquatur ſcribatve. Quamvis facile pati poſſim, ut alii me erraſſe dicant, *humanum* enim eſt *errare; abjecti* tamen *animi* eſſe puto, ferre, ut quæ recte dicta ſunt, *ſine ratione in alienum ſenſum trahantur. Ei, qui pendet a rebus leviſſimis, (non mihi, non ſapientiæ amanti) plauſum immortalitatem, ſibilum mortem videri neceſſe eſt.* Quæſtio erat, utrum λογος attributum Dei ſit, an vero ſubſtantia per ſe exiſtens. *D. Vir* poſterius negat; inde enim ſequi, ideas omnes per ſe exiſtere, quod monſtroſum & abſurdum. Reſpondi, non adeo abſurdam mihi videri hanc ſententiam. Addidi pag. 937. diſſertat. meæ: *mea opinione ignoramus prorſus, quid ſint ideæ, nedum uti, qua ratione in Deo eſſe poſſint, definire poſſimus. Neceſſario hæc mihi addenda videbantur, quandoquidem adeo abſurda viſa eſt ſingularium idearum ſubſiſtentia.* Dixi itaque in genere, mihi videri, nos ignorare, quid ſint ideæ. Dixi inſuper, illos, qui communem ſententiam, nimirum omnes ideas in Deo eſſe *modificationes mentis divinæ*, defendunt, *forte, forte* inquam, iisdem difficultatibus involutos, ac illi, qui ideas extra mentem Dei exi-

ſtentes, Deo tamen æterno arctiſſime conjunctas tuentur. *Non igitur hanc ſententiam probabiliorem priore eſſe dixi*, uti *contra mentem & aperta verba mea* hoc mihi *imputat*. Verum, eſt addidi: *perſpicere me non poſſe, qua ratione divina & nobiliſſima mens ita modificari poſſit, ut arborem, piſcem &c. referat.* Exiſtimavi hactenus, omnes noſtras de ideis Dei ratiocinationes niti analogia, quam inſtituimus cum ideis mentis noſtræ. Duæ autem ſunt præcipue (cæteras jam non moror) Philoſophorum de idearum natura ſententiæ. Quidam putant, ideas eſſe modificationes mentis noſtræ: alii, ut *Lockius*, *Clericus*, eas a mente diſtinguunt, dicuntque, eas eſſe immediatum contemplationis noſtræ objectum; interim nos, quid ſint, neſcire. Argumenta utriuſque partis non referam. Transferamus hæc ad Deum. Aut ideæ Dei ſunt perfectiſſimæ mentis modificationes; aut aliquid ab Eſſentia Dei remotum, ſed quod Deus ab æterno jugiter contempletur. Si prius, vellem mihi modum oſtendi, qua ratione mens nobiliſſima ita modificari (liceat ſermone Scholaſticorum uti) poſſit, ut plantam, animal quoddam, referat. *Non nego*, in

Deo

Deo eſſe, ſeu Deum ideas omnium rerum, etiam corporearum, habere; *neque abſurdam eſſe illorum*, qui hæc profitentur, *ſententiam*; ſed *hoc tantum, abſtruſiorem* eſſe illam *materiam*, quam ut *diſtincte explicari poſſit*. Si vero extra Deum ſunt, & contemplationis divinæ objectum ſunt, atque per ſe exiſtunt, quid ſint, & quomodo æternæ eſſe dici poſſint, nemo perſpexerit. Quod ſi tamen *ſubtiliſſimus Vir* majorem lucem huic argumento adferre poſſit, quam hactenus *Arnaldus, Malebranche, Lockius* attulerunt, quammaxime ſibi devinciet *Orbem Eruditum*. Si autem, quid ſint ideæ, ignoramus, neque definire poſſumus, utrum in mente noſtra ſint, an extra mentem, exiſtumo etiam de ideis Dei certi nihil adferri poſſe, atque adeo *majori argumentorum robore opus eſſe* ad probandum, *ſententiam* illorum, qui ideas per ſe ſubſiſtentes tuentur, *monſtroſam eſſe*. Hæc addenda erant, ut Lector ſentiat, quo jure *D. G.* adſerat, abſurde doctrinam de ideis ad hoc argumentum tractam eſſe. Interim perſeverat in opinione ſua, nimirum τον λογον Platonis nonniſi abſtractione mentis a Deo & anima mundi diſtingui, atque adeo ipſum Deum cum omnibus ſubſtantiis

mundi ſeſe conjungere. De quo, ut verbum addamus, neceſſe non eſt. Verbo tantum meminiſſe juvat eorum, quæ de *Cudworthi* ſententia dixeram. Statuit ille cum *Proclo duplicem animam mundi*, quarum *una* nihil commercii habeat cum rebus terreſtribus, *altera* vero omnia pervadat corpora. Contendit *Cl. Gundlingius*, quod ſi vel maxime vera eſſet *Cudworthi* ſententia, nihilominus tamen ſyſtema Platonis iisdem implicitum fore difficultatibus, quia anima illa ſuperior etiam ex Dei eſſentia emanaverit. Ad hæc reſpondi p. 940. diſſert. meæ ſequentia. *Cudworthi opinionem tueri nolo, quamvis, ſi Veterum teſtimoniis probari poſſet exiſtentia duplicis illius animæ, non adeo in anguſtias conjectum putem Cudworthum, uti quidem exiſtimat Cl. Gundling.* Hæc mea verba Sect. XC. ita interpretatur: *Putat is, Cudworthum non adeo fore ſpernendum, ſi ſua e Platonis voluminibus probaſſet. Quod idem eſt, ac ſi dicerem, Zimmermannum victoriam reportaturum, niſi in probatione defecerit.* Mirum non eſt, *plerosque ab Eriſticis Scriptis legendis abhorrere: pauciſſimi enim diſputantium candide adverſariorum ſententias in medium proferunt.* *Gundlingius* dixit: *Cudworthum, etiamſi*

etiamſi probaſſet duplicis illius animæ exiſtentiam, Platonem *tamen* ab Atheiſmo liberare non poſſe. Ego: ſi probare poſſet exiſtentiam teſtimoniis veterum, in tantas anguſtias conjectum haud fore. Num autem *hoc idem* eſt ac dicere, *Cudworthum* victoriam reportaturum, niſi in probatione defecerit, cum vel allatis veterum teſtimoniis nil tamen lucrari *Cudworthum* ſupponat *D. G. Socratem*, quem *D. Gundlingius* æque ac *Platonem* Sect. 91. *Atheiſmi* poſtulat, defendere nolo. Dudum enim *ſummi Viri* innocentiam hac in parte demonſtrarunt *doctiſſimi Viri.* Exſpectabo, quæ de *Theologia hujus Viri* in medium prolaturus ſit *Gundlingius.* Dixi quædam huc facientia *in diſſertat. de præſtantia Religionis Chriſtianæ collata cum Philoſophia Socratis.*

Sect. XXXVII.

Cl. Vir Sect. XCII. conqueritur, me hinc inde *evagari*, & committere *vitium ratiocinationis, quod Logici vocant ignorationem* τε ἐλεγχε. Videamus de utroque. Cl. Vir dixerat, τον λογον ex mente Platonis a Deo ipſo non diverſum. Reſpondi, *Eruditiſſimos Viros* adhucdum diſſen-

tire, utrum λογος Platonis ſit ſubſtantia per ſe exiſtens atque æterna, an vero attributum tantum Dei. Concluſi inde, non poſſe *Gundlingium* ſententiam eorum, qui ideam a Deo ipſo non ſeparant, tanquam certam ſupponere, & in præſidium cauſæ ſuæ trahere. *Num hic evagatus ſum? Neſcire nos pergit*, (ita loquitur D. G.) *quæ ſit cogitatio divina; eoque recentiorum quorundam opinionem refellit, qui ideas Dei ab ejus natura non putant diſtinctas: ſiquidem refellendi vocula congruat inaniter ratiocinanti. Nam eos putat hoc argumento in fugam dari, quod triangulus, de quo Deus cogitat, ad eſſentiam ejus pertinere minime poſſit.* Exemplum de Triangulo attuli pag. 955. non vero 936. & ibi de alia re ſermo eſt. Ibi enim quæritur, quomodo anima mundi, aliquid Deo imperfectius, a Deo tamen oriri poſſit. Dixi, probandum eſſe, Deum in infinita ſua natura nil complecti poſſe, quam quod ad Eſſentiam perfectiſſimam neceſſario pertineat. Addidi hæc verba: *Communiter Philoſophi omnium rerum ideas in Deo eſſe ajunt, eas eſſe æternas & immutabiles, ſed tamen a Deo non diſtinctas, continebit igitur Deus in ſe aliquid, quod ad perfectiſſimam ejus eſſentiam aliquatenus*

tenus non pertinet. Deus quidem perfectiſſime cogitat, agit. Sed ſi ideæ illæ ſunt aliquid non nihil, cogitatio Dei quatenus rem imperfectam refert, v. gr. triangulum, eo ipſo neceſſario ad eſſentiam Dei non pertinebit. Hæc autem *non attuli* ad ſententiam illorum, qui ideas Dei ab ipſo Deo non ſeparant, *refellendam*, ſed ut pateat, non adeo abſurdam eſſe eorum ſententiam, qui putant, aliquid in Deo eſſe poſſe, quod ad perfectiſſimam tamen naturam neceſſario non pertineat. Interim patet ſimul, inde a pag. 936. ad pag. 955. ſaltum feciſſe *Cl. V. Forte hoc eſt evagari?* Sed veniamus ad rem, & audiamus, qua ratione *D. G.* probaverit, me ignorantiam τῶν ἐλεγχῶν commiſiſſe. *Ignorat*, inquit, *hodiernos Philoſophos id ſolum velle, cogitationem Dei eſſe ipſum Deum, ceu ſupra ſcripſimus de potentia ejus. Iſtud vero, quod Dei potentia producitur, nemo unquam divinæ naturæ adglutinavit. Itaque exemplum trianguli vane adducitur. Quantum eſt, quod ignoramus!* Quæritur, utrum *noſtro concipiendi modo* aliquid in Deo eſſe poſſit, quod ad perfectiſſimam eſſentiam Dei non pertineat. Dixi, modernorum judicio omnium rerum ideas in Deo eſſe. Videri autem, hanc vel illam ſingu-

larem ideam, ſeu divinæ mentis modificationem, ad eſſentiam Dei non pertinere: quandoquidem perfectiſſima Eſſentia Dei ſine hac vel illa idea concipi poteſt. Non igitur quæritur de cogitatione Dei in genere, quatenus Deum tanquam ſubſtantiam perfectiſſime cogitantem conſideramus; ſed de hac vel illa ſingulari modificatione mentis divinæ. Neque etiam quæritur, utrum hæc vel illa res ſingularis a Deo producta ad eſſentiam Dei pertineat, quod nemo ſanus unquam credidit; ſed utrum repræſentatio illa ſive idea, v. gr. trianguli, ad eſſentiam divinam conſtituendam neceſſario requiratur. *Res objectæ*, inquit, *de quibus Deus cogitat eminenti modo, non pertinent ad ejus naturam & vim, ſed cogitatio divina in genere eſt, veluti reliqua ejus attributa, ipſe Deus. Sed nec hic quæſtionis ſtatum intelligere vult. Non enim quæritur de objectis extra Deum exiſtentibus, ſed de ideis ſeu repræſentationibus illis*, quæ res ſingulares referunt. Nemo non novit, Leonem non pertinere ad naturam Dei, licet ipſius Leonis ideam habeat Deus. Quæritur duntaxat, utrum idea Leonis æque neceſſario ad perfectiſſimam Dei naturam pertineat, ac pertinet infinitus intellectus, aliaque

aliaque attributa, ſine quibus Deus ne quidem concipi poteſt. Rem exemplo, ut non poſſim non intelligi, illuſtrabo. Cogito jam de *D. Gundlingio:* hæc cogitatio, quæ animæ meæ obverſatur, dicitur idea. Idea hæc eſt modificatio quædam mentis meæ, (ex horum enim ſententia hic loquimur.) Hæc autem cogitatio in ſpecie ad naturam mentis meæ non pertinet. Licet enim *D. Gundlingium* exiſtere nunquam cogitaſſem, nihilominus tamen habuiſſet mens mea facultatem intelligendi. Cogitatio autem in genere, ſive attributum eſſentiale mentis nil diſtincti refert. Transferamus hæc ad Deum. Deus eſt nobiliſſima mens: inter attributa ejus eſt perfectiſſimus Intellectus: ejus intelligendi rationem ad analogiam mentis noſtræ referimus: dicimus, Deum omnium rerum ideas habere: quumque aliunde ſciamus, eas nec per ſenſus, nec per reflexionem ortas eſſe, dicimus, eas in Deo ſemper exiſtere. Deus igitur habet, ut omnium rerum ideas, ſic in ſpecie etiam *Gundlingii.* Quæritur itaque, non utrum perfectiſſimus intellectus ad naturam Dei pertineat, neque an Deus rerum ſingularum, ita & *Gundlingii,* ideam habeat; ſed utrum

ſingillatim idea *Gundlingii* ita neceſſario ad perfectiſſimam Dei eſſentiam pertineat, ut hoc negato Deus non ſit Deus, ſeu perfectiſſima mens. Sed *majus* profert *D. G. ignorantiæ meæ ſpecimen p. 332. Sic imperite*, inquit, *idem de idearum æternitate rationes init, quam prorſus negat, niſi omnes ideæ in ſingulari ad Dei eſſentiam referantur. Nunquam enim bene perpendit, quid intelligant Philoſophi noſtri ævi, ideas rerum æternas & immutabiles pronuntiantes. Neque enim male docent, ideam Leonis qui ſtatuunt æternam; ſed abſurde inferrent; ergo Leo eſt æternus, ergo eſt eſſentiæ divinæ, aut Dei de Leone cogitantis portio. Gratias ago* quantum poſſum maximas *ſubtiliſſimo Viro, quod me edocuerit*, quid ſibi velint Philoſophi, quando dicunt, eſſentias rerum eſſe æternas: *gratias ago*, quod *Exemplum adduxerit*, quo res illa illuſtratur, oſtendendo in ſpecie ideam leonis & leonem ipſum quammaxime differre, neque ſequi, æternum eſſe leonem, quia idea leonis æterna. Interim vellem, *ut D. Vir* locum oſtendiſſet, in quo idearum divinarum æternitatem in dubium revocaverim. Tria de hac materia dixi. *Primum* eſt, difficile conceptu eſſe, quomodo hæc vel illa ſingularis idea,

idea, quæ in Deo eſſe dicitur ab æterno, *æque NB. neceſſario* ad Eſſentiam Dei pertineat, ac perfectiſſimus intellectus. *Secundum*, cum ideæ rerum corporearum in Deo ſint, difficulter intelligi poſſe, quomodo mens divina ita modificari poſſit, ut arborem, piſcem &c. referat. Quomodo mens noſtra rerum corporearum ideas habeat, nemo explicare poterit, multo minus igitur certi quicquàm definire licet in rebus divinis. *Tertium* ita expreſſi p. 955. *Si ideæ illæ ſunt immediatum contemplationis Dei objectum, in Deo quidem non exiſtentes, Deo tamen tanquam mundus aliquis intelligibilis conjunctæ, haud facile concipere poſſumus, & quid ſint, & quomodo æternæ eſſe poſſint, nec tamen ad eſſentiam Dei pertinere. Non negavi igitur æternitatem idearum, aut earum immutabilitatem*, ſed ratiocinatus ſum partim *ex opinione eorum*, qui ideas *modificationes mentis noſtræ* eſſe putant: partim eorum, qui *extra mentem eas eſſe dicunt*; concludendo, ex utraque ſententia ſequi, nos neſcire, quomodo ideæ in Deo eſſe poſſint, imprimis rerum corporearum, & quomodo, tanquam divinæ mentis modificationes, res ſingulares referre, & tamen ad perfectiſſimam eſſentiam Dei neceſſario per-

pertinere dici poſſint. Hæc non tanquam *propoſitiones mathematicæ evidentiæ propoſui;* ſed dubitanter tantum, eumque in finem, ut oſtenderem, quammaxime debilem eſſe cognitionem noſtram de ideis divinis, neque Platonis ſententiam adeo monſtroſam eſſe, uti quidem putavit *D. G.* Utrum autem Plato ejusmodi ideas per ſe ſubſiſtentes dari crediderit, alia eſt quæſtio, quæ perſpicuis teſtimoniis probari debet. *Cl. Vir non tam ſtolidum* (ita enim loquitur p. 333.) *Platonem fuiſſe* putat, *ut crediderit ideas per ſe ſubſiſtentes; & licet J. Thomaſius centum loca adferret, quibus hoc probaret, ſe ſexcenta in contrarium allaturum.* Nimirum ita *ſapiens fuit Plato, ut ideas res per ſe ſubſiſtentes* eſſe, credere non potuerit; ſed tamen *ita deſipere*, ut omnes *creaturas, plantas, arbores, feles, canes, lapides, &c. divinæ eſſentiæ partes eſſe crediderit*, imo omnes hujus *mundi partes ſimul ſumtas Deum*, unicam illum ſubſtantiam, abſolvere; quæ Spinozæ, & Platonis etiam, ſi *Gundlingio* credimus, ſententia fuit. Quodſi interim *ſex* perſpicua loca *ſexcentorum loco D. Gundling.* attulerit, quibus probetur, Platonem λογον, & ideas per ſe ſubſiſtentes, ſubſtantias non credidiſſe, locaque in contrarium allata

lata ſolverit, tum in poſterum cum eo firmiſſime credam, τον λογον & ideas ab ipſo Deo ex mente Platonis non differre.

Sect. XXXVIII.

Sequitur jam *maximum ignorantiæ meæ indicium*, adeo ut tandem cum *uxore illa Terentiana* mihi exclamandum ſit:

— — *Nunc hoc te obſecro,*
Ut meæ ſtultitiæ in juſtitia tua ſit aliquid
præſidii:

Pag. enim 334. ita ait *Vir ſummus: Emanationem is admittere detrectat, creationem non audet ſubjicere; igitur hæſitat, & tandem ad modum incomprehenſibilem ſaltu inſolito ſeſe transfert. Quid ſi concedamus, inquit*, p. 954. *non minus Platonem, quam nos ignorare, qua ratione imperfectius quid, quale anima mundi, ex Deo emanare poſſit. In quo ſe admodum deridendum propinat Apologeta.* Cum diſputatio ſit de origine trium illorum principiorum Platonis, conceſſi gradationem quandam locum habere in principiis illis tribus. Primum eſſe τον παντων Δημιεργον, ſecundum τον λογον, tertium *animam mundi. Platonici Juniores* plerumque aſſerunt, ſecundum a primo, tertium a ſecundo

cundo ortum eſſe. Dixi, in *Timæo Platonis & Locro*, ubi ſedes præcipua hujus argumenti, aſſertum hoc de trium principiorum emanatione nullibi perſpicue definiri; conceſſurum me tantiſper liberaliter hoc aſſertum, & viſurum, utrum ea abſurdorum portenta inde emerſura ſint, qualia neceſſario inde deduci poſſe putat *D. G. Fundamenti* loco poſui, tria illa principia eſſe ſubſtantias intelligentes, a materia alienas, adeo, ut in illa emanatione omnis partium compoſitio & ſecretio ſeparanda ſit: hoc ſuppoſito dixi, etiamſi a mente divina anima mundi emanaſſet, nondum tamen inde ſequi abſurda illa conſectaria: addidi dein illa verba jamjam adducta; quid ſi concedamus, non minus nos quam Platonem ignorare &c. Hoc vocat *Cl. Doctor Illepidum & riſu dignum aſſertum.* Quare tandem? *Quia*, inquit, *loquitur de illis progreſſionibus, tanquam ipſe omnia ſciret, & creationi omnium rerum interfuiſſet; igitur ad ignorantiam Platonis confugere me non poſſe.* Hoc illud eſt, cur riſum teneant amici. Non jam dicam, *Cl. Gundlingium* perſpicua loca e *Platone*, *Platone* inquam, non attuliſſe, quibus ſuam ſententiam probaret; annon potuit aliquid ſtatuere

&

& garrire, quod ipſemet tamen explicare non potuit? quot ſunt, qui transſubſtantionem defendunt, neque tamen monſtroſam propoſitionem explicant? Num confidentia, qua quidam, etiam Philoſophi, ſua decreta proferunt, ſignum eſt, eos recte ratiocinari? Si Syſtema Spinozæ defendit Plato, uti exiſtimat *D. Vir*, num explicare poterit modum, ſecundum quem omnia certo numero, pondere, & menſura condita ſunt? Debuiſſet ſine dubio Plato modeſtius loqui, atque tacere de iis, quæ ignorabat; ſed cum hoc factum non ſit, & eum de rebus obſcuris locutum eſſe, in aprico ſit, nemo a me poſtulare poteſt, ut explicem, quod ipſemet ignoravit. Licet enim *Philoſophus & Polyhiſtor* etiam, ſi antiquis credimus, fuerit, hoc tamen non impedit, quo minus multa ignoraverit, de quibus tamen, ut ſapere videretur, loqui voluit. Veriſſimum enim eſt ſæpe illud *Ingenioſiſſimi Moth. Vayerii dictum: Dans ce grand Hopital des incurables, il n'y a point de plus foux, que ceux, qui veulent querir les autres.* Sed pergit *Illuſtris Vir: Quin magis adhuc inficetum videtur, dum probationem exigit, Deum in infinita ſua eſſentia nihil complecti poſſe, quam quod*

ad

ad ejus eſſentiam neceſſario pertineat. Probandum enim foret, Deum non eſſe compoſitum. Quod ſi id ſerio poſtulet, næ in philoſophia æque ac Theologia tenuiſſimos feciſſe profectus videbitur. Unde ſequentia: quis ſcit, utrum Deus ab æterno voluerit, ut ſimul in ſe, modo nobis homuncionibus imperveſtigabili, exiſtant ſubſtantiæ quædam intelligentes, demum ſuo tempore ex Deo, non quidem uti partes Dei, emantes, quibus tamen emiſſis, Deus non minus perfectus eſſet, quam antea? majorem adhuc vanitatem, an inſcitiam dicam, arguunt. Velim *Lectorem* obſervare, me egiſſe de tribus intellectualibus principiis *Platonis*, præcipue vero de anima mundi. Ut quum *inficeta ſit aſſertio mea*, quam non *inſtar Doctoris, ſed dubitanter & conjiciendo tantum*, propoſui, velim ſequentia obſervari. Primum eſt; *hæc ad controverſiæ noſtræ ſummam haud pertinere;* quæritur, utrum ex ſententia *Platonis* unica tantum detur ſubſtantia, quæ Deus ſit. Oſtendi, materiam eſſe per ſe ſubſiſtentem & æternam, neque ullo vinculo neceſſario cum Deo connexam. Secundum; dixi, juniores præcipue Platonicos adſerere, tria illa principia a ſe invicem orta; perſpicua tamen hujus rei teſtimonia in

Platone

Platone & *Locro* non obſervari. Tertium; illam ipſam *emanationem* ex Deo ita *comparatam*, ut omnem *partium ſeparationem*, quæ in corporibus tantum locum habet, *excludat*. *Quartum*; nos naturam rerum Spiritualium *obſcuriſſime* tantum noſſe, proprietates quasdam mentis noſtræ nobis cognitas, cætera omnia ἀδηλα eſſe; debilem præprimis eſſe noſtram cognitionem de *natura Dei*, quæ *infinita* & inenarrabilis eſt. Non poſſum ſine dubio *teſtem invenire* ad hoc probandum *meliorem ipſo Gundlingio*. Is autem *Gundlingianorum* parte 14. pag. 328. & ſq. ita de hac re loquitur: *Homo finitus eſt, Deus infinitus: ratio arctis terminis circumſcripta, Deus nulli termino incluſus. Et pugnant tamen illi, & omnem movent lapidem, & tuentur omni modo, Deum poſſe comprehendi. Quomodo? Fac videam. An ratione, an imaginatione? Quicquid intelligimus finitum eſt; quicquid imaginamur finitum eſt, diviſibile in partes, magnitudine præditum finita. Quo ruis Luci? an capis infinitam vim, infinitam potentiam, infinitum tempus? Sin minus, cur inſultas mortuo Leoni, cur vellis barbam? Audi, in Deo concipimus æternum nihil. Putas te aliquid percipere, percipis nihil* (quibus ta-

men verbis pag. ſq. in notis ſubſtituere jubet hæc : *nos in Deo nihil concipere poſitive, aut quid ſit Deus ſpecialiter & perfecte atque integre) Omnis Theologia naturalis, quam jactas, in demonſtrationibus de Dei exiſtentia ſubſiſtit. Cribro aquam hauriunt, qui ulterius ſe proripiunt, & in vias Scholaſticorum perfectionis & negationis ſe recipiunt. Quid ſentis, quæſo, cum ais, Deum eſſe immortalem, falli neſcium, corruptionis omnis expertem? num tibi propterea eſſentia ejus nota? Si ſcio, te non eſſe Bucephalum, non Hippocentaurum, non Chamæleontem, non Elephantem, non Cajum, non Titium, an exinde ſcio, te eſſe Paulum? Et ſi hoc cognoſcam, quid eſt tandem, quod te conſtituat Paulum? an hæcceitas, illeitas, iſteitas? An forte Pauleitas? Nolo cruentis Realium & nominalium miſceri pugnis. Profiteor,* NB *me nihil de Dei eſſentia noſſe; vocabula ſunt, quibus ludimus, termini meri, quibus fruimur. Eadem ſuperlativorum ratio eſt. Hi propterea adhibentur, quia per partes non cognoſcimus, quod volumus cognoſcere.* Hactenus Gundlingius. Quis autem unquam confidentius de hac re locutus eſt? Et tamen *ridiculum* & *inficetum* eſt, quando *ego dixi*, & quidem *conjectando tantum*, poſſe in inerrabili natura

tura Dei aliquid concipi, quod ad eſſentiam ipſius neceſſario non pertineat. *Quintum;* Deus poteſt, quicquid nullam repugnantiam involvit; ſeu quicquid nos tanquam poſſibile concipere poſſumus. *Sextum;* ut *æternitas* Dei, ita *infinita ejus natura* nobis eſt parum cognita; abſorbetur quaſi mens contemplatione infinitæ & naturæ ejus naturæ. *Septimum;* quicquid exiſtit, præter Deum, non neceſſario exiſtit, ſed voluntate ejus omnipotentiſſima. *Octavum;* Deus poteſt ab æterno velle, ut exiſtat, aliquid præter ſe, natura ſua imperfectius. *Nonum;* per mundum intelligo non ſolum omnia corpora ſimul ſumta, ſed & omne ſpatium. *Decimum;* Deus poteſt ab æterno velle, ut exiſtant quædam intellectuales ſubſtantiæ, quæ cum nec locum, nec ſpatium requirant, & mundus demum in tempore conditus ſit, ſine confuſione aut loci repletione ſunt, ubicunque ſunt. *Undecimum;* Deus ergo velle poteſt, ut ab æterno in infinita & inenarrabili ſubſtantia, modo nobis homuncionibus imperſcrutabili, exiſtant intellectuales quædam ſubſtantiæ voluntate ſuæ productæ, & prorſus ab ipſo diverſæ. *Duodecimum;* potuit igitur & animam mundi in ſe continere, & demum ſuo tempore

aliis veſtitam proprietatibus mundo præficere. *Decimum tertium*; hæc anima mundi, uti clariſſime ex *Timæo* & *Locro* patet, imperio Dei ſubmittitur, & tanquam ſubſtantia a DEO diſtincta conſideratur: potuit igitur etiam a Deo ab omni æternitate habere ſuam originem, neque tamen cum Deo Unum eſſe. Oſtendendum ergo *Cl. Viro*, hanc æternam ſubſtantiarum intelligentium ſubſiſtentiam, *meram involvere contradictionem.* Hæc tamen non *eo animo* dico, ac ſi *mentem illam adfingam Platoni, aut* omnia hæc *animo illius* obverſata, minime omnium quaſi *credam, eo modo res in Deo revera ſubſtitiſſe.* Hoc *tantum volo*, cum Plato tria principia agnoverit, gradibus perfectionis inter ſe diſtincta, neque tamen *perſpicue*, qua ratione hæc orta putet, definiverit, *ſubſiſtendum* hactenus eſſe, neque *abſurdas conſequentias* inde deducendas. Cum autem *Cl. Vir.* ex conceſſis Platonicorum principiis ad *abſurdum* argumentetur, exiſtumans, hæc omnia per emanationem proprie dictam facta, adeoque naturam divinam in partes eſſe ſciſſam, atque cum materia copulatam, neque modum aliquem concipi poſſe, quomodo divinum a divino oriri poſſit, dixi, nos debilem & quammaxime

maxime inadæquatam de Dei infinita natura habere cognitionem ; *neminem apodictice demonſtrare poſſe*, nil in Deo eſſe poſſe, quam quod ad perfectiſſimam naturam neceſſario pertineat ; ex æterno illius Naturæ abyſſo quasdam intellectuales ſubſtantias oriri poſſe ſine detrimento naturæ divinæ. Hæc omnia *dubitanter* tantum, ut *modeſtum decet*, propoſui. Si quando enim *ſuſpenſo gradu* in ratiocinando procedendum eſt, tum maxime id fieri debet, cum de *natura Dei infinita & ejus attributis* ſermo eſt. Videamus tamen, quomodo modeſtam illam meam conjecturam *abſurditatis* convincat. Pag. 335. ait: *Aut Deus continet illas ſubſtantias tanquam a ſe diſtinctas, & aliunde vitam ac naturam ſuam indeptas, aut a ſe vita, ratione & motu animatas. Si prius, a Deo non omnia ſunt producta, quod abſurdum. Sin poſterius, Deo ſimilia ſunt, atque ex eo, qui continet, & prodierunt, & ſunt, & in eo conſiſtunt, atque aliquando in lucem emittuntur.* Ita *ſubtiliſſimus Gundlingius.* De priore propoſitione ſermo non eſt, ſed de poſteriore: probare igitur debuiſſet, poſteriorem contradictionem involvere. Sed nil probat, niſi hoc, Deo ita ſimiles fore illas ſubſtantias intellectuales. Similes

ſunt, quatenus ſunt ſubſtantiæ intellectuales, ſed non ſunt ex eſſentia divina ortæ, ſed, ut ſuppoſui, Dei voluntate productæ; *ex eo* igitur non *ortæ*, ſed *per eum, voluntatem nimirum divinam*, quæ cauſa eſſet exiſtentiæ eorum & eſſentiæ. Hoc poſtremum, inquit, quanquam abſurdum ſit, multo tolerabilius tamen videtur, quam primum, *oppido craſſum commentum: Deum in ſe complecti ſubſtantias per ſe & a ſe exiſtentes.* Hæc nunquam *in mentem* venerunt, & *figmentum eſt Gundlingii.* Aperte dixi, quæri, utrum Deus *voluerit, ut exiſtant &c.* Ita cum *magna minatur Excellentiſſimus Vir, extricat tamen nihil.*

Sect. XXXIX.

Pergamus ad Sect. 94. diſſertat. meæ: p. 955. ita locutus ſum. *Nos Chriſtiani credimus S. S. Trinitatem non nominalem, ſed quæ aliquid diſtincti involvat; dicimus, Filium eſſe a Patre ab æterno, & cum eo. Spiritum Sanctum procedere ab utroque, æque tamen æternum & perfectiſſimum eſſe; quis autem modum hujus diſtinctionis explicet?* Probare hoc exemplo volui, adeo naturam Dei nobis perſpectam non eſſe, ut quamlibet diſtinctionem & emanationem in Deo impoſſibilem dicere liceat. Quid ad hæc *Excellentiſſimus Gundlingius?*

In

In quo quam ſit ſimplex, (& talis ſum ſenſu latiniſſimo) *rurſum apparet dilucide. Recte enim atque integrè adfirmatur, Filium eſſe Deum, Spiritum S. eſſe Deum; ac ſola hypoſtaſis diſtinctionem efficit.* Ego vero non dixi, in quo diſtinctio illa ſita ſit; ignoro enim, ut verum fatear, quomodo *Pater, Filius & Spiritus S. inter ſe* diſtinguantur; diſtinctionem tamen aliquam intercedere, nos dubitare non ſinunt *oracula divina*, quibus merito adſentimur, licet modum non explicent. Firmiſſime interim perſuaſus ſum, *doctiſſimum Gundlingium neſcire*, quam poteſtatem habeat hoc in loco vox ὑποςασις. Denotat enim aliquando ſubſtantiam. At tres ſubſtantias a ſe diverſas non habemus. Si dicat, illam denotare ſubſiſtentiam, tum diſtincte explicare non poteſt, utrum hæc diverſitas ὑποςασεως ſit ſolius rationis, an realis inter ſubſtantiam & ſubſtantiam, ſubſtantiam & proprietates, proprietates & proprietates, proprietates & modos. Verbo, dicimus in Deo eſſe tres *perſonas*, neque tamen diſtinctè, quid ſint perſonæ, definire poſſumus: aut ſi definimus, ad hoc myſterium explanandum nullo modo transferre poſſumus. Voce igitur ὑποςασεως nil aliud voluit, quam diſtinctionem

ctionem aliquam in Deo locum habere. Idem ego aſſerui. Sola differentia in eo poſita eſt, quod ego *ingenue faſſus ſum, diſtinctionem illam mihi prorſus ignotam eſſe. Ille vero, ut ignorantiam tegeret ſuam, adhibuit vocem* ὑποϛασιν. *An tu vero*, inquit, *enuntiabis ſine pudore, aves eſſe Deum, lupum, arborem aliaque animalia?* Ubinam gentium ſumus? quæſtio eſt de tribus principiis, (liceat ob rei impenetrabilem naturam hac voce uti,) quæritur, utrum diſtinctio quædam in Deo locum habeat, & ille me interrogat, utrum credam, aves &c. eſſe Deum. An ego omnes creaturas hypoſtaſi tantum ſeu modo ſubſiſtendi inter ſe diſtinctas eſſe dixi? an ullibi adfirmavi, talem eſſe in rebus Creatis diſtinctionem, qualis in divinis locum habet? *Odi conſequentiarum fabricatores & arceo. An ſola hypoſtaſi* (ita me interrogat ſummus Vir) *Elephas, Paulus, Petrus & J. Zimmermannus differunt?* Reſpondeo: aliud eſt, *Excellentiſſime Doctor*, cum de ſubſtantiis creatis loquimur, aliud cum de Deo loquimur. Sine dubio *Wolffius, Gundlingius & Leibnizius differunt, tanquam tres ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentes, diverſiſſimis proprietatibus diſtinctæ, non ſolum a ſe invicem, ſed & a Deo.* Sed talis

lis diſtinctio, realis quammaxime & ſubſtantialis, in divinis locum non habet; neque vox illa tua ὑποστασις diſtinctionis modum patefacit. Cum Platonici tres ὑποστασεις ἀρχικας eſſe dixerunt, tres ſubſtantias gradibus perfectionis diſtinctas intellexerunt; talis autem non eſt in Trinitate Chriſtianorum. Sed *myſterium hoc eſt*, inquis. Imo vero, quis negat? ſed hoc *myſterium non eſt*, ſi dicam, in inenarrabili natura Dei dari *aliquam diſtinctionem*, licet diſtinctionis illius *modum* ignorem. Loquuntur Chriſtiani de *æterna quadam generatione* filii, & *proceſſione Sp. S.* nemo tamen hactenus hoc explicuit, quia *myſterium* eſt. Hæc *generatio* tamen, hæc *proceſſio*, nullam *contradictionem*, *nullam alterationem*, *partium diviſionem* in Deo efficit. Annon inde ſequitur, etiam ſenſu Chriſtianorum in infinita Dei natura dari *aliquam diſtinctionem*, & varietatem, ut ita dicam? Quando vero *D. Vir* ait: *Ego vero cum aliis me acutioribus maxime perſpicue cognoſco, divinum ſeu Deum non ſolum ſuſtentaculum rerum ſenſilium non eſſe, ſed & ab intelligentibus rebus omnibus conſiſtere ſeparatum & natura & ὑποστασει*: prorſus me habet conſentientem. Quando enim haud impoſſibile eſſe adſerui, ut

in infinita Dei natura quædam ſubſtantiæ intelligentes ſubſiſtant, manifeſtiſſime ſuppoſui, *eas a Deo productas & ab Eodem diſtinctiſſimas eſſe. Ac ſicuti* (ita pergit D. G.) *vero immanis error eſt, Chriſtum dicere creatum, non generatum; ita non minor eſt inſipientia, omnia adfirmare generata, cum generatio contineat emanationem, emanatio inducat ſimilitudinem ratione naturæ omnimodam.* Loquimur jam de myſterio S. S. Trinitatis; filius dicitur ab æterno generatus. Sed cum ita loquimur, difficulter, quam poteſtatem habeat vocabulum generare, explicare poſſumus. Sufficit, quod omnem, quæ in rebus humanis circa generationem occurrit, imperfectionem removeamus. Alio vero ſenſu hoc vocabulum ſumimus, cum de rebus humanis ſermo eſt. Ad nauſeam dixi, Platonem, quando mundum γενναῖον dixit, non intelligere emanationem ex divina eſſentia, ſed productionem, exornationem. Neque *ullo argumento probavit D. G.* mundum ex mente Platonis, vel materiam, e ſinu Dei ejectam. Cum autem idem Plato de tribus principiis loquatur, & aliquam gradationem in iis locum habere adſerat, licet quid ſibi velit minime explicet, tantiſper judicium cohiben-

hic endum eſſe puto, uſquedum naturam Dei, & ſententiam Platonis *magnus aliquis Doctor* clarius, quam hactenus factum, explicuerit. Supra docui, primitivæ Eccleſiæ Patres in myſterio divinitatis Filii explicando diverſis vocibus uſos, quæ in ſenſum alienum trahi poſſent, niſi ipſimet præſidium quæſiviſſent in infinita Dei natura. Quando *Illuſtris Leibnizius, æternum Germaniæ Ornamentum, in princip. Philoſophiæ, Actis Erudit. Lipſ. Tom. VII. Supplem. Sect. XI. inſertis*, inter alia ita locutus eſt: *Deus ſolus eſt unitas primitiva, ſeu ſubſtantia ſimplex, originaria, cujus productiones ſunt omnes monades creatæ & derivativæ, & naſcuntur, ut ita loquar, per continuas divinitatis fulgurationes, per receptivitatem creaturæ limitatas; Viri Eruditi* phraſin illam, per continuas *divinitatis fulgurationes*, deteriorem in ſenſum non acceperunt. *Doctiſſimus Creilingius in Examine horum principiorum* ita de hac *Illuſtris Viri* propoſitione loquitur: *Elegantiſſime Autor cum antiquiſſimis Philoſophis Deum unitatem primitivam & creaturas omnes derivativas appellat, ſimul autem in ſequentibus modum productionis creaturarum, ſeu creationis, quantum ex lumine rationis indagari poteſt,*

poteſt, oſtendit, ajens: Creaturas oriri per continuas Divinitatis fulgurationes. Loquitur autem auctor noſter de emanatione quadam generatim ita dicta, vel quaſi, (ne putes aliorum Syſtematis Emanationis Patronorum ſomnia & omnia hic recipi) quam per fulgurationem quandam imaginationi & per eam intellectui vult ſiſtere clariorem. In noſtro quippe orbe ſol radiorum ſuorum perpetua emiſſione quandam quaſi divinitatis actuoſiſſimæ imaginem & Chriſtianis & Gentilibus Philoſophis præbuit, ipſæque S. Literæ Deum lucem adpellant. Ita *Creilingius* interpretatur modeſtiſſime inuſitatiorem *Illuſtris Viri* ſermonem. Ita faciunt *Viri Candidi, & ignorantiæ noſtræ* circa *divina memores.*

Sect. XL.

Circa finem diſſertationis meæ *Celeberrimi Wolfii, Viri ſane doctiſſimi*, partes in me ſuſcepi tuendas contra *Illuſtrem Gundlingium.* Reſpondi quin etiam ad ſingulas *quæſtiones Gundlingianas.* Reſponſiones autem meæ *inficetæ* denuo videntur *Viro perſpicaciſſimo.* Videamus pauliſper quo jure, licet *Doctiſſimus Wolfius* auxilio meo minime indigeat. Repetam autem quæſtiones *ſummi Viri.* Quid deri-

derivatur quæſo? Reſpondi: *derivatur anima mundi, eſſentia quædam intelligibilis, a mente, & mens illa a Deo, Rectore omnium rerum, divinum quid a Deo, ſed non ut pars a toto; modum autem ignoro, quia Dei natura non intime mihi perſpecta eſt.* Cur autem diſplicet hæc reſponſio *Excellentiſſimo Viro?* Audi: *quando enim*, inquit, *primarium reſpondere moïtur, nihilne emanare poſſit a Deo niſi divinum, ad ſilentium citatis paſſibus currit, & modum emanationis ſe ignorare trepide fatetur, ne in inſidias quærentium incidat.* Quæſtio eſt de tribus principiis Platonis, & quidem ex mente eorum, qui primum ſecundo, ſecundum tertio originem ded ſſe contendunt. Putavit autem *Illuſtris Vir*, interrogationes illas ita eſſe comparatas, ut *Doctiſſimus Wolfius* nihil prorſus reponere poſſit. Ego non ita ſentio. Reſpondi igitur directe, animam mundi oriri a mente ſeu ſecundo principio, divinum quid a divino: modum me ignorare dixi, & adhuc dico. Quæ enim ignoro, lubentiſſime fateor. *Plato*, ſi ea fuit ejus ſententia, explicare non potuit, ejus igitur non minus, quam *Cl. Wolfii* nomine reſpondi. Sequitur quæſtio ſecunda *Ingenioſiſſimi Viri.* An dividitur Deus? *Reſpondi*

Reſpondi minime. Deus ex mente Platonis non corpus, non diviſibile quid, & quod partes habeat; ſed mens illa ſive idea orta eſt a Deo, emanavit ex infinita Dei eſſentia, cujus infiniti cum ego capax non ſim, creatura arctiſſimis limitibus circumſcripta, modum determinare non poſſum, neque tamen illam impoſſibilem adſerere. Num forte hæc reſponſio placet *ſubtiliſſimo Viro?* Minime. *Eadem,* inquit, φλυαρια *deprehenditur, quando is ad quæſtionem, utrum divinum, quod emanat, ſit dividuum, an individuum? reponit, emanare aliquid ex divina eſſentia, ſed modum latitare. De quo interea ſententiam nondum eſt rogatus. Mirum eſt,* me ideo *vapulare,* quod *plus* regeſſerim, quam *æquiſſimus Vir* poſtulavit. Reſpondi, Deum non eſſe ex mente Platonis dividuum, & *hoc* ex me quærebat: addendum autem putavi, me modum ignorare, quia dixi λογον eſſe a Deo: cujus originis & derivationis modum ignoro. Neceſſe igitur putavi, ignorantiam meam fateri. Et hoc tam liberale additamentum adeo diſplicet *Moderatiſſimi Ingenii Viro, ut dicat pag. 339. Ignoſcet, ſpero, ſi hunc morem dicam morum, atque hunc reſpondendi modum valde arbitrer inſicetum.* Imo vero ex animo ignoſco. *Perſpecta enim mihi*

mihi dudum eſt Illuſtris Viri urbanitas & ingenii Elegantia. Ignoſco igitur, ignoſco. Sed nondum ſatis eſt diſputatum. Sect. 96. de novo me ad pugnam provocat. *Adesdum Zimmermanne, pauçis te volo, ut quam miſerum defenſorem in te nactus ſit Cl. Wolfius tute intelligas.* C'en eſt fait, mon heure eſt venuë. En adſum tamen *Vir Excellentiſſime! dedo aures in dictionem tuam!*

Tuus enim, quid optes,
Explorare labor, mihi juſſa capeſſere fas eſt.

Putas quippe, (ita me homuncionem alloquitur *Ampliſſimus Vir) Deum permanere eundem, tametſi aliquid ab ipſo emanet: quod ferri tantiſper poſſet. Illico autem os illidis in ſcopulum* (adeo nil tutum ab inſidiis) *præacutum, quando cauſam per emanationem venum exponis pro cauſa efficiente exornante externa: quin periculoſius laberis, cum permanans a Deo, quod eſt mens, & ſimili ratione a mente procedens, quod eſt anima mundi, infuſum rebus ſenſibilibus ac diverſimodis temperatum credis, ſine ſuſpicione diſcriminis, quod impendet religioni. Ita enim divinum peccat &c.* Mihi ſane *vel reluctanti* incidit illud Poetæ: *Parturiunt montes. Meræ* enim

ſunt

ſunt *repetitiones* ſupra jam ad nauſeam allatæ & refutatæ. Tædet tandem repetitionum, breviter ergo dico: *Gundlingium* non *probaſſe ex Platone*, duo illa principia, mentem & animum mundi, a Deo orta; non *probaſſe*, animam mundi nonniſi abſtractione mentis a primo principio diſtinctam; non *probaſſe*, animam mundi omnia pererrantem in unam cum mundo ſubſtantiam transmutari; non *probaſſe*, emanationem in intellectualibus ſine partium diviſione locum habere non poſſe. *Hæc omnia* cum nondum *probaverit Ingenioſiſſimus Vir*, mirum non eſt, ſi repetitiones illas parvi æſtimo. Admitto tamen *Doctiſſimi Viri* concluſionem: *Quamobrem bene conjecit Zimmermannus, Cl. Wolfium reſponſurum forte accuratius.* Adhucdum enim in ea ſum ſententia, *Cl. Wolfium*, *Virum ſolide doctum*, majori argumentorum pondere *Subtiliſſimi Viri* objectiones refutaturum, ſiquidem in arenam deſcendere vellet. Eſt enim *is*, (non ego) *ex numero illorum militum, quibus triplex circa pectus æs eſt. Cum talibus enim, non aliis, congredi optat fortiſſimus Antagoniſta, uti patet ex ultimis Diſſertat. ejus verbis.*

Sect.

Sect. XLI.

Et hæc ſunt, quæ ad *Cl. Viri* diſſertationem, contra me conſcriptam, adnotare volui. Nullus dubito, quin multi judicaturi ſint, examen hoc meum *prolixius* eſſe, *quam rei momentum poſtulat*; agi enim de re non *magni momenti*: parum intereſſe *cœtus ſacri*, *Reipublicæ Litterariæ*, utrum *Plato Atheus fuerit nec ne*. Ego vero non diffiteor, potuiſſe me *horas* huic argumento *impenſas* longe *melius collocare*. Sed quandoquidem placuit *Cl. Gundlingio*, diſſertationem meam *prolixo examini* ſubjicere, non potui multas ob cauſas, quas hic recenſere nolo, prorſus ſilere. Poſtquam autem ſemel animum ad ſcribendam apologiam appuli, *neceſſitatem* mihi impoſitam eſſe perſpexi, cuncta accurate examinandi. Nolui igitur perituræ parcere chartæ; ſed cuncta, quæ alicujus momenti videbantur, perpendere; *nolui Cl. Viro* anſam dare *conquerendi*, me *fortiſſima*, quibus innititur, *argumenta* ſilentio præteriiſſe. Has enim querelas frequentiſſime moveri audimus in *mutuis Eruditorum concertationibus: rara eſt enim fides diſputantium: non minus hic ſtratagematibus locus,*

quam in bello. Veniam igitur dabit Lector prolixitati meæ, & repetitionibus, quas evitare non potui. *Cl. Auctor* identidem ex arrepta ſemel hypotheſi argumentabatur, teſtimoniaque, ut fieri ſolet, eo trahebat, hinc repetitiones non ſemel ortæ. De re ipſa judicium ſit penes *eruditum & candidum Lectorem.* Illi, qui extra partes ſunt conſtituti, melius poterunt de controverſia noſtra judicare, quam nos, *quos partium ſtudium* aliquando impedit, quo minus *verum* cernere poſſimus. Ego quidem quammaxime operam dedi, ne præjudicatis opinionibus locum aliquem concederem. *Sed homo ſum, nihil humani a me alienum puto: omnes ſumus contentioſi homines: omnes ſemel arreptas opiniones lubentes defendimus, & difficulter adducimur, ut fateamur, nos erraſſe: Sydus illud peſtilentiſſimum, ambitio, nos omnes adflavit.* Non igitur victoriam ante triumphum canam; lubens aliorum judicia audiam, & meliora edoctus *retractationes* cum *Auguſtino* ſcribam. Perinde mihi eſt, utrum *Cl. Gundlingius* meæ ſententiæ album calculum adjiciat, nec ne. Licuit ſemper incolumi diſſentire amicitia. Quod ſi denuo placeat *D. Viro* in cam-

campum deſcendere, per me licet. Hoc unicum rogo, ut in poſterum, poſita omni *verborum acerbitate*, mecum agat. Velim ſibi perſuadeat, ſibi rem eſſe cum homine *non quidem erudito*, nedum *ſuperbo*, *ſed veritatis & pacis amantiſſimo*. *Dicteria* animum ad iram & æſtum provocant. Ut *innocenti*, *ſic irato* verba *invenire*, quibus ſe *tueatur*, facile eſt. Non opus eſt *excellenti ingenio* ad alios perſtringendos, & Italico aceto perfundendos, ſed ad *injurias illatas æquo animo perferendas*. *Habet & muſca ſplenem, eſt & formicæ ſua bilis: etiam mitiſſimi ingenii homines, cum alii lapides loquuntur*, non poſſunt ſemper *byſſina reponere verba*. Et quid lucramur tandem *dicteriis?*

Cædimus inque vicem præbemus crura ſagittis;

Ludibrio nos exponimus Viris ſapientibus, & *Eruditionem* in *contemptum* adducimus. Poterit igitur & hanc *Apologiam Cl. Vir* examini ſubjicere, *argumenta argumentis*, ſiquidem eum errare putavero, *opponam*, & *æquitate, modeſtia, candore* cum eo certabo de *palma*, *adeo*, *ut quæ modo pugnabant*, *jungant ſua roſtra*

columbæ. Eum in finem heic *publice Cl. & Hiſtoriæ philoſophicæ peritiſſimum Virum rogo*, ut ſi quæ habeat ad *Inſtitutum meum promovendum* facientia liberaliter communicet. Ego omni officio, ac pietate me Ei devinctum eſſe, teſtabor.

III.

DE

EXIMIIS SUEVORUM IN LITERATURAM ORIENTALEM MERITIS SCHEDIASMA HISTORICO-LITERARIUM. (*)

§. 1.

Inter præcipua Sueviæ noſtræ decora referendum eſſe cenſeo, quod ea multa literarum lumina atque columina produxerit, nec ullum facile ſit diſciplinarum genus, de quo non quidam

(*) Hoc programmatis loco præmiſſi Actui Oratorio, quo Lyceum noſtrum pietatem ſuam inter ſæcularia ſacra in memoriam Auguſtanæ Confeſſionis ducentis abhinc annis glorioſiſſimæ recordationis Imperatori CAROLO V. exhibitæ celebrata teſtatam fecit. Prædicanda vero mihi hic publice hilari gratoque mente eſt inſignis cum OPTIMORUM PATRIÆ NOSTRÆ PATRUM, tum reliquorum Auditorum omnis ordinis Spectatiſſimorum benevolentia, qua orationes, memoriter a nobis recitatas, excipere

illius indigenarum & civium variis nominibus præclariſſime promeriti fuerint. Prodierunt ex ea Viri, cunctorum eruditorum ſuffragio maximi, vere heroës literarii, non ad ſui tantum, ſed omnis ævi exemplum illuſtres, quibus literæ vel plane reſtaurationem, vel ſaltem cultum atque nitorem ſuum acceptum ferunt; nec deforet illi, qui hiſtoriam literariam gentis noſtræ condere vellet, per univerſum eruditionis orbem iturus, ampla laudum

---

cipere dignati ſunt. Omnia per Dei gratiam feliciter peracta, ac ſub hujus actus finem in Auditorio, quam fieri poterat, ſplendidiſſime variis artificioſis picturis aliisque ornamentis condecorato, Ampliſſimi Magiſtratus munificentia juventuti noſtræ ſcholaſticæ numiſmata in Jubilæi memoriam cuſa, & præterea iis, qui in ſingulis Lycei noſtri claſſibus tres priores locos occupant, hiſtoriæ reformationis Eccleſiæ patriæ, a me vernaculo ſermone in lucem emiſſæ, exempla diſtributa fuere. Cujus libelli dum mentionem hic facio, non poſſum non eos, qui forte illum lecturi ſunt, officioſe rogare, ut præter errores typographicos, in ejus calce jam notatos, & hos emendare velint. Legendum nempe pag. 104. lin. 16. pro 1525. 1527. lin. 12. pro *Widerlegung*, *Uberlegung*: p. 189. lin. 6. pro *dem* leg. *denen*, & lin. 7. pro *er* leg *ſie*. p. 249 lin. 2. pro *alle*, *allhier*: in præfationis autem pag. antepenultima lin. penult. pro 25. Jun. l. 27. Junii, & addenda hæc verba: *weil die damalige traurige Umſtände nicht erlaubten, an dem 25. dieſes Monats, der auf den Freytag fiel, ein beſonderes Freuden-Feſt anzuſtellen.*

dum in complures Sueviæ cives congerendarum materies, & creberrima occaſio demonſtrandi, populares noſtros haud raro Muſis ad incitas redactis manus adjutrices præbuiſſe, ac nobiliſſimas ſcientias ſive antehac proſcriptas cum triumpho primos reſtituiſſe, ſive reſtitutas jam ab aliis flagranti induſtria excoluiſſe, profuturaque omnibus ſæculis opera edendo haud exigua luce perfudiſſe.

§. 2.

Quod ut de ſingulis veræ eruditionis partibus comprobatum dare vaſti res foret voluminis: ita hacce commentatiuncula id unum mihi propoſui, oſtendere, quam eximia ſint Suevorum in literaturam Orientalem merita. Non autem omnes recenſere animus eſt, qui magno ardore nec infelici ſucceſſu Eoas linguas tractandas ſuſceperunt, quod ii faciant, qui Sueviam Orientalem ad *Pauli Colomeſii* exemplum conſcribere geſtiunt, ſed illos duntaxat, qui in hiſce literis eximii quid præ cæteris præſtiterunt, immortali fama propterea digniſſimi. E dicendis vero, ni fallor, perſpicies, habuiſſe Sueviam noſtram in hoc genere

Viros, quos haud ab re inter primates literarios *(a)* referre queas.

§. 3.

Eo jam tempore, quo horrida barbaries universam fere Europam, elegantioribus literis in triste exilium ejectis, occupaverat, Musæque inter solos propemodum Arabes, strenuos tum earum vindices, habitabant, surrexit heros, Suevico sanguine progenitus, qui literis squalore obsitis nitorem suum reddere, ac Musas extorres in nostras restituere oras magnopere contendit. FRIDERICUM II. Imperatorem indigito, non pacis minus, quam belli artibus inclutum, vere Herculem Musageten, qui avi sui, a barbæ colore Ænobarbi *(b)* cognomen nacti, exemplo incitatus, non solum

(*a*) Egregie, uti solet, de his disserult consummatæ eruditionis Vir, cujus amicitiam magnæ felicitatis loco habeo, D. Christ. Aug. Heumannus, ipse non immerito Optimatibus literariis annumerandus, in Conspectu Reip. literariæ Cap. VII. p. 198. sqq.

(*b*) Quantum Musæ in Friderico Barbarossa seu Ænobarbo, Imperatore immortali gloria dignissimo, itidem Suevo, habuerint Mæcenatem, vel sola evincit ejus constitutio authentica de scholaribus, in qua illorum commodis benigne prospexit. Confecit eam,

lum a prima ſtatim adoleſcentia *(c)* in ingenuis artibus verſatus eſt, verum ad ſummum etiam imperii culmen evectus inter graviſſimos labores publicos, inter ipſos hoſtium fremitus & mille Martis diſcrimina Minervæ litavit, ac literarum amorem nunquam depoſuit. Fuit is, Pandulphi Collenutii, ſcriptoris fide digni, elogio *(d)*, omnium fere artium mechanicarum cæterarumque rerum, quibus

 adjecit

---

eam, quod memorabile & manifeſtum tanti herois in literas & earum cultores amoris documentum eſt, inter armorum crepitus, tympanorum & tubarum ſonitus, extra patriam in Italia, non in urbe aliqua, ſed ſub dio, referente Martino Cruſio, Viro doctiſſimo, cujus memoria Scholæ noſtræ venerabilis eſt, qui & illam conſtitutionem commentario illuſtravit in Oratione de Friderico Barbaroſſa & Studioſorum privilegiis officiisque p. 27. ſqq.

(c) Id ipſe magnus Imperator in epiſtola, e qua mox locum aliquem producemus, his verbis profitetur: *Nos profecto, qui divina largitione populis præſidemus, generali, qua omnes homines naturaliter ſcire deſiderant, & ſpeciali, qua gaudent aliqui utilitate proficere, ante ſuſcepta noſtri regiminis onera, ſemper a juventute noſtra quæſivimus, formam ejus* (ſcientiæ nimirum) *indefinenter amavimus, & in odore unguentorum ſuorum ſemper aſpiravimus indefeſſe* &c.

(d) Vid. ejus *Compendio delle Hiſtorie del regno di Napoli*, Lib. IV. p. 94. edit. Venet. A. 1541. & Latinæ verſionis, quæ Jo. Nic. Stupano debetur, p. 155.

adjecit animum, insignis artifex, eruditus præterea linguarum Italicæ, Latinæ, Germanicæ, Gallicæ, Græcæ atque Saracenicæ. Licet omnibus belli dotibus eminentissimus sui sæculi fuerit, Pierio tamen choro semper favit, ipsemet

doctæ non ultima gloria turbæ.

Bibliothecam instruxit copiosam, in eamque pretiosa Orientis spolia intulit. Græcæ linguæ amorem vel sola inscriptio annuli reperti in branchiis sub cute lucii piscis A. M CCCC XCVII. in stagno circa Heilbronnam, Imperialem Sueviæ urbem, capti testatur, quæ hæc fuit *(e)*: Ἐιμὶ ἐκεῖνος ἰχθὺς, ταύτῃ λίμνῃ παντόπρωτος ἐπιτεθεὶς διὰ τȣ̃ κοσμήτȣ φεδηρίκȣ τὰς χειρὰς ἐν τῇ ε̄. ἡμέρᾳ τȣ̃ Ὀκτοβρίȣ ᾱ σ̄ λ̄. i. e. EGO SUM ILLE PISCIS, HUIC STAGNO OMNIUM PRIMUS IMPOSITUS, PER MUNDI RECTORIS FEDERICI MANUS, DIE QUINTO

(*e*) Vid. Gesner. Præfat. in quart. libr. historiæ Animalium, & Mart. Crusii Annal. Suevic. Part. III. Lib. I. Cap. VII. f. 25. Græcam linguam ante Fridericum barbaro illo ævo fuisse in Suevia nostra quodammodo cultam, non prorsus incredibile est. In ea enim commorata fuit Irene, origine Græca, Philippi,

QUINTO OCTOBRIS M. CC. XXX. Quis vero dubitet, quin Græci ſermonis ſtudium Auguſtiſſimus Vir, qui, ut vel ipſi piſces, muriſſimi alias, illo ad ſeram poſteritatem uterentur, curavit, intra imperii ſui fines excitare ſerio voluerit? Expeditiones ab eo vel ejus auſpiciis in Orientem ſuſceptæ occaſionem illi ſuppeditarunt, non Græcorum tantum & Arabum libris, ſed ipſa etiam eorum eruditione ſe ſuosque locupletandi. Haud enim ſibi ſoli ſervare Imperatorem voluiſſe iſtas delicias, vel ex epiſtola *(f)* ad magiſtros & ſcholares Bononienſes cum libris Ariſtotelis aliorumque, e Græco & Arabico in Latinum ſub ejus auſpiciis translatis, miſſa patet, e qua nonnulla delibare operæ videtur pretium: *Dum librorum volumina, quorum multifarie multisque modis diſtincta chirographa noſtrarum armaria divitiarum locupletant, ſedula meditatione*

Ilppi, Friderici noſtri patrui, conjux, quam non dubium eſt ſecum habuiſſe nonnullos Græcos. Miſſi ſunt quoque ad illam, ejusque maritum aliquando Conſtantinopoli legati. Hac aliisque cauſis Cruſius l. c. Cap. XVI. f. 574. ſuſpicatur, magnam verborum Græcorum vim in linguam noſtram Germanicam influxiſſe.

(f) Quæ extat Lib. III. Epiſtolarum Petri de Vineis p. 503. ſqq. edit. Baſil. A. 1566.

tione revolvimus, & accurata contemplatione penſamus, compilationes variæ ab Ariſtotele aliisque Philoſophis ſub Græcis Arabicisque vocabulis antiquitus editæ in ſermocinalibus & mathematicis diſciplinis noſtris aliquando ſenſibus occurrerunt. Quas adhuc originalium dictionum ordinatione conſertas, & vetuſtarum veſtium, quas eis ætas prima conceſſerat, operimento contectas, vel hominis defectus aut operis ad Latinæ linguæ notitiam non perduxit. Volentes igitur, ut veneranda tantorum operum ſimul authoritas apud nos non absque commodis communibus vocis organo traducere (g) innoteſcat, ea per viros electos & in utriuſque linguæ prolatione peritos inſtanter juſſimus verborum fideliter ſervata virginitate transferri. Quia vero ſcientiarum generoſa poſſeſſio, in plures diſperſa, non deperit, & diſtributa per partes minorationis detrimenta non ſentit, ſed eo diuturnius perpetuata ſeneſcit, quo publicata fœcundius ſe diffundit: hujusmodi celare laboris emolumenta nolumus, nec æſtimavimus nos eadem retinere jucundum, niſi tanti boni nobis-

(g) Hæc mendoſa eſſe videntur: forte *traducta* legendum.

nobiscum alios participes faceremus. Conſiderantes veruntamen, quorum conſpectibus, quorumque judiciis operis cœpti primitiæ poſſent decentius deputari: ecce vobis potiſſime, velut philoſophiæ præclaris alumnis & reliqua, quæ partim in mendo cubare videntur. In fine eos exhortatur, ut opera ipſis transmiſſa ad communem ſtudioſorum utilitatem famæque ſuæ præconium publicent. Elucet hinc propenſiſſimus Imperatoris in literarum ſtudia promovenda animus: patet quoque inde, illum habuiſſe ſecum foviſſeque viros Græci & Arabici ſermonis peritos, qui iſtiusmodi opera in Latinum idioma convertere valuerunt. Licet autem illæ verſiones haud fuerint exactæ atque ſatis fideles: potuiſſet tamen ac debuiſſet etiam hac ratione viris literarum ſtudio deditis ſaliva moveri ad linguarum illarum notitiam ſibi comparandam. Sed inficetum illud ſæculum reſipiſcere noluit, parumque igitur profecit Vir Auguſtiſſimus, immani præſertim odio dirisque vexationibus Pontificum Romanorum, quorum maxime intererat, ne Orbis ſaperet, impeditus.

§. 4.

§. 4.

Posthæc Musæ Orientales, tanto Statore atque Vindice orbatæ, neglectæ iterum jacebant, donec vergente sæculo decimo quinto propitii Numinis beneficio nova lux spissas illas, quæ universam ferme Europam obfuscaverant, tenebras feliciter dispellere occiperet. Restauratum tum est ante omnia linguarum, quæ merito scientiarum vehicula vocantur, studium per Viros, nominis æternitatem inde consecutos. Palmam vero reliquis præclaro hoc in opere præripuisse Suevos intrepidus affero, nec vereor, ne id nimio cæcoque patriæ amori idonei rerum arbitri adscribant. Taceo in Suevia nostra primum Grammaticæ Hebraicæ compendium a Christianis profectum *(b)* typis excusum esse, cum exigui id fortassis momenti sit: hoc vero silentio prætermittere nequeo, omnium primos in

(b) Quod auctorem habet Petrum Nigri, cujus tractatui contra Judæos, Eslingæ per Conradum Fyner de Gerhussen A. 1475. impresso, annexum est, exile quidem, sed primum tamen typis exscriptum. vid. Summe Rever. J. C. Wolfii Bibliothecæ Hebrææ, operis plane incomparabilis, vel thesauri potius, Part. II. p. 115.

in Germania Suevos Hebræam linguam, cæterarum principem, ſibi familiarem reddidiſſe, atque deinceps inter alios etiam propagandam felicibus auſpiciis ſuſcepiſſe. Dignus eſt, cujus renovetur memoria, JOANNES BEHAM *(i)*, ſacerdos Ulmenſis, qui ſub ſæculi ejus, quo Hebraice noſſe pene hæreticum erat, finem Hebræam linguam a Judæis, antequam Ulma expellerentur, didicit, illiusque Lexicon & Grammaticos aliquos libros ab iisdem magno pretio comparatos in noſtrum ſermonem, nullis parcens ſumtibus, transferendos curavit, ac ea volumina, qua erat facilitate & animi in linguæ hujus nobiliſſimæ ſtudium provehendum propenſione, deinde cum Capnione, Pellicano & aliis Philebræis communicans, eorum induſtriam haud parum adjuvit.

§. 5.

Illuſtris eſt JO. REUCHLINI ſive CAPNIONIS, Pforzemio-Suevi, nomen, quam

(*i*) Vid. Melch. Adami Vitas Theolog. Germ. p. 169. In Vener. Reimanni Hiſtor. liter. German. Vol. III. p. 107. ſq. Behamus ille triplici vice minus recte *Betra* vocatur, quod reperitum etiam in Indice eſt.

quam ut cuiquam ignotum esse queat. Ab hoc, judice Morhofio *(k)*, quasi aurora eruditionis illucescere cœpit, unde potius a luce Phosphorus, quam a fumo Capnio dicendus fuisset. Hunc virum, ad ætatis & patriæ suæ gloriam natum, merito ceu Phœnicem & unicum suum decus tota suspiciebat ac venerabatur, teste magno Erasmo Roterodamo *(l)*, Germania, in qua primus omnium intrepido ausu inveteratam barbariem exstirpare, & Hebræas, Græcas aliasque bonas literas auspicato successu instaurare cœpit, acerrimo suo studio etiam exteros ad æmulationem provocans. Uberrime de tanti Viri vita & rebus glorioſe gestis disseruit beatus Theologus D. Jo. Henr. Majus *(m)* peculiari commentario, adeoque nobis otia fecit, qui de tanto heroë, monstrorumque domitore plusquam Herculeo silere malumus, quam pauca dicere. Id unum tamen monendum esse duco,

(k) In Polyhist. liter. Part. I. Lib. I. Cap. XIX. p. 243.

(l) In epistolâ ad ipsum Leonem X. Pont. M. exarata.

(m) Add. omnino, quæ in Celeb. Hermanni von der Hardt Historia liter. Reformationis de Reuchlino habentur Part. II.

duco, eum omnium inter Chriſtianos primum juſtam Grammaticam & Lexicon Hebraicum concinnaviſſe, operique æterno, quo omnibus ad ipſos limpidiſſimos Veteris Teſtamenti fontes adeundos viam paravit, non injuria hanc coronidem impoſuiſſe: EXEGI MONUMENTUM ÆRE PERENNIUS NONIS MARTIIS ANNO MDVI. Primus etiam, quod ſciam, de Accentibus Hebræorum ſcripſit: primus item Chriſtianorum particulam quandam Hebræi Codicis ſacri, Pſalmos nempe pœnitentiales, An. 1512. orbi dedit, cum antea ſoli Judæi in Italia Soncini, Piſauri ac Venetiis operam Bibliis Hebraicis typographiæ beneficio publicandis navarent, quorum tamen pauciſſima exempla in Chriſtianorum manus pervenere.

§. 6.

Hebræarum literarum gloriam maſcule tutati ſunt Capnionis diſcipuli, quos inter principes fuere CONRADUS PELLICANUS & SEBASTIANUS MUNSTERUS, quorum ille haud pauca opera Rabbinica ac Talmudica Latine convertit, hic vero præter alia ſcripta Hebræi ſermonis cultoribus valde utilia primus Grammaticam & Lexicon Chaldaicum

vulgavit. Neuter equidem eorum natione Suevus fuit: uterque tamen non invitus profeſſus eſt, in Suevia noſtra, Academia ſcilicet Tubingenſi, hodienum quoque famigeratiſſima, & Doctoribus omnis ordinis per univerſum orbem literarium celeberrimis maxime condecorata, ſe potiſſimum tam eximiis doctrinæ opibus inſtructos eſſe. Hinc & Sueviæ multum accreſcit laudis, utpote quæ tantos Muſarum ſanctiorum vindices ſuo in ſinu formavit. Taceo jam JOANNEM BOSCHENSTEINUM, Eslinga-Suevum, qui multis Hebrææ Linguæ, cum rarior adhuc ejus eſſet notitia, præcepta inſtillavit; & mentionem potius facio JOANNIS FORSTERI Auguſtani *(mm)*, genuini Capnionis diſcipuli, tandemque in Academia Wittenbergenſi Profeſſoris, quem ob induſtriam ac virtutes Præceptor præ aliis auditoribus ſuis chariſſimum

(*mm*) Patriam cum Forſtero, quod ἐν παροδῳ annoto, communem habuit Matrona pietate, virtutibus ac eruditione ornatiſſima, ANNA e WEISBRUCKERORUM familia prognata, URBANI REGII, Theologi celeberrimi, itidem Suevi, conjux, Hebræi Chaldæique ſermonis apprime perita. Extat inter opera mariti colloquium cum ea ab ipſo habitum, in quo

mum habuit, quanti eum faceret, literis, hodienum extantibus *(n)*, diſerte teſtatus, e quibus hæc verba decerpere lubet: *Tu unus omnium in lingua Hebraica plurimum ſudaſti, ut dignus mihi viſus fueris, cui publici auditorii pulpitum conceſſerim. Quare perge incumbendo bonis* (forte addendum *literis*) *& doctrinæ a me prælectæ: ſic enim in virum literatiſſimum & linguarum ornatiſſimum interpretem, Deo adſpirante, cæteris commodo & utilitati, evades.* Nec ſpes optimum virum fefellit. Non enim docendo tantum poſtea, ſed & ſcribendo Hebrææ linguæ ſtudium ſtrenue propagavit, dignusque ac idoneus beato Luthero viſus eſt, cujus conſiliis in ſacrarum literarum e

quo prophetiæ Veteris Teſtamenti de Chriſto ejusque regno docte, pie ac ſolide explicantur. Regius autem ipſe ea idiomatis Hebraici, Chaldaici & Rabbinici cognitione præditus erat, ut cum Judæorum Rabbinis plus ſimplici vice in arenam deſcendere veritus haud fuerit. Dedit etiam A. MDXXXV. ad totam Judæorum Synagogam Brunswicenſem epiſtolam, quæ ex Hebræo in Latinum converſa Tom. III. operum ejus Latinorum f. 92. ſq. habetur. vid. Urbani Regii memoriam literis a Theologo, dum viveret, ſummo D. Elia Vejelio conſignatam §. XVIII. p. 12. ſqq.

(n) In Melch. Adami Vitis Theolog. German. p. m. 303.

fontibus in noſtrum idioma translatione ſæpenumero, nec infeliciter, uteretur. Primum illum inter Lutheranos Hebraicum Lexicon publicæ luci expoſuiſſe, jam ante nos Celeb. Reimmannus obſervavit *(o)*.

§. 7.

Plurimum Hebræas Chaldæasque literas magni nominis Theologo, PAULO FAGIO, debere, nemo facile eſt, qui ignoret. Viri præſtantia & eruditio tanta fuit, ut ipſos etiam Judæos *(p)*, invidam alias Chriſtianis gentem, in ejus admirationem rapuerit. Quamvis autem natale illius, utpote Tabernis Rhenanis in Palatinatu oriundi, ſolum Suevia haud fuerit, magnam tamen gloriæ, quam Vir ſummus inſignibus ſuis in ſanctiores Muſas

(*o*) In Hiſtor. liter. German. Vol. III. p. 83.

(*p*) Splendidis præſertim laudibus eum cumulavit Elias Levita in præfatione TISBI, dignumque cenſuit, de quo populares glorientur, &, quemadmodum Judæi de Moſe Maimonide dicunt: *A Moſe uſque ad Moſen non ſurrexit ſicut Moſes*, ita quoque de ipſo pronuncient: *A Paulo* (Tarſenſi) *uſque ad Paulum non ſurrexit ſicut Paulus* (Fagius Taberna-Rhenanus). conf. Celeb. Jo. Buxtorfii Catalecta Philologico-Theologica p. 127.

ſas meritis indeptus eſt, partem, meo quidem judicio, ea jure ſibi vindicat. Protulit enim PETRUM BUFFLERUM *(q)*, ſenatorii ordinis in libera Imperii civitate Iſnenſi virum, qui idem ipſi & aliis erat,

Quod Flacco Varioque fuit ſummoque Maroni
Mæcenas, atavis regibus ortus eques (r).

Hujus auſpiciis factum eſt, ut Fagius & Iſnæ in noſtra Alemannia officinam typographicam erigeret, e qua complures libros ſermonis Hebræi & Chaldæi ſtudioſis maxime proficuos, ac tam argumento quam typorum nitore commendabiles, in publicam lucem emiſit, & ex Italia eodem evocaret Eliam Levitam, Judæorum illo tempore eruditiſſimum, ut ejus opera in tam egregio inſtituto uti poſſet. E re noſtra eſſe arbitror, ipſius Fagii, tam Bufflerum, magnum Mæce-

(q) Vid. de Viro hoc optimo Henr. Pantaleonis Proſopograph. Part. III. f. 198. & Melch. Adami Vit. JCtorum Germ. p. 84. ſqq.

(r) Martial. lib. XII. Epigr. 4.

natem, quam Eliam, fidum paraſtaten ſuum, grato animo proſecuti, verba heic e præfatione in hujus librum TISBI producere: *Quandoquidem jam ab annis aliquot in hoc incumbo, ut ſi quæ ſunt in Hebræorum ſcriptis & penetralibus alicujus momenti, quæ Chriſtianis hominibus, maxime Theologis, ad intelligendas ſacras literas uſui eſſe poſſunt, in lucem proferam: factum eſt benigna voluntate Dei Opt. Max. ut ad hoc meum inſtitutum mihi duo commodiſſima & optatiſſima media contigerint. Primum liberaliſſimus Mæcenas, qui pro inſtituenda officina typographica, eaque Hebræa, ſumptus liberaliſſime exponit, nempe D. Petrus Buffierus, civis Iſnenſis, & boneſtiſſimus & piiſſimus, qui ob ſingulare ſtudium, quo proſequitur omnes doctos, & in ipſam pietatem promovendam totus incumbit, æternam laudem apud omnem meretur poſteritatem. Neſcio enim vere, an facile ſimilem alicubi terrarum opulentum aliquem invenias, qui tanta liberalitate ſua profundit bona, ubi vel docti alendi, vel pauperes juvandi, vel etiam Evangelium Chriſti provehendum, ut non verear dicere, tantum illum hac in re effeciſſe, quantum multi docti ſcribendo & docendo. Alterum eſt, quod doctiſſimus Hebræus, qualem vix ſecun-*

ſecundum habet orbis, Helias inquam, genere Iſraëlites, & cognomento Levites Germanus, paſſus eſt ſe ex Italia, inclyta urbe Venetorum, Iſnam vocari, ut ad iſtos meos conatus auxiliatrices præberet manus. Quo certe dubito, num tota Judæorum gens ſynergon mihi in propaganda lingua Hebræa ſuppeditare potuiſſet & meliorem & commodiorem. Re enim Grammatices, quod rarum eſt apud Judæos, præſertim Germanos, omnino peritiſſimus eſt, ut in qua omnem ætatem vel ab ipſa contrivit pueritia. Unde, quicquid uſpiam eſt probatorum ſcriptorum, diligenter legit, ſicut de ejus eruditione ipſius ſcripta, quæ ante aliquot annos in lucem edidit, teſtantur, e quibus tantum profectum fecerunt omnes ſtudioſi linguæ ſanctæ, ut ſane quicquid eſt hodie uſpiam ſolidioris cognitionis linguæ Hebrææ, illi acceptum debeamus, quod etiam, qui inter noſtros præcipui ſunt, libere & ingenue fateri non erubeſcunt. Chaldæam ſane linguam non minus, quam Hebræam, novit, ut qui omnes Thargumiſtas diligentiſſime ſummoque cum ſtudio legerit, volverit & revolverit, ut ſane ex illis Lexicon Chaldaicum doctiſſimum & utiliſſimum collegerit, quod propediem in communem utilitatem omnium ſtudioſorum linguæ ſanctæ excudi curabimus. In ſacris

Bibliis, quod alii Judæi non tantopere curant, adeo versatus est, ut non tantum capita omnium librorum Bibliacorum, sed & singulos versus, dictiones, apices, accentu, & quicquid hujusmodi est, in recenti habeat memoria, quod plane mirum est in homine tam sene: & quæ sunt aliæ laudes, quibus hunc optimæ notæ Judæum cumulavit. Hæc autem, licet paulum prolixiora, recitare visum fuit, ut luculenter inde perspici posset, quantopere se devinctum agnoverit Fagius Bufflero, homini Suevo, qui profecto, si quis Mæcenatum historiam condere vellet, haud postremo inter illos loco dignus foret. Prodiere vero ex illa Isnensi typographia, obstetricante Fagio, varii bonæ frugis libri, qui Philebræis non possunt non esse acceptissimi, v. g. Eliæ Levitæ ספר התשבי sive Dictionarium vocum Hebr. Chald. Arab. Græc. & Lat. quæ tum in Bibliis tum in Rabbinorum scriptis occurrunt; ejusdem מתורגמן sive Lexicon Chaldaicum, nec non שמות דברים, sive Nomenclator Hebraicus; Sententiæ morales Ben Syræ cum succincto Commentario & Latina Versione Fagii; Tobias item Hebraicus ab eodem in Latinum translatus; פרקי אבות sive Capitula Patrum, Latine reddita scholiisque illustrata;

luſtrata; Exegeſis dictionum Hebraicarum literalis in quatuor capita Geneſeos, cui acceſſit Textus Hebræi & paraphraſeos Chaldaicæ collatio; Precationes Hebraicæ, quibus in ſolennioribus feſtis Judæi, cum menſæ accumbunt, adhuc hodie utuntur, & quo modo, ordine & ritu eas dicant; Sepher Æmana *(rr)*, ſive liber de fide Chriſtiana adverſus Judæos ſcriptus & Latine converſus, & id genus alia.

§. 8.

Habuit vero noſtra etiam ætate Iſna Virum, qui alter orbi literato futurus fuiſſet Fagius, ſi alter quoque ipſi obtigiſſet Buſſlerus. JOANNEM SPECHTIUM innuo, SS. Theologiæ Licentiatum, & venerabilem, dum viveret, Eccleſiæ ejus loci Paſtorem, non longo abhinc tempore pie defunctum, Virum Hebraice doctiſſimum, Judaicarum antiquitatum callentiſſimum, & in ipſis etiam Talmudicis ſcriptis verſatiſſimum, quod vel ſolæ ejus in Servatoris patientis hiſtoriam homiliæ ſatis evincunt, ſolidiſſimi inſtar Commentarii merito habendæ,

(rr) Ita ipſe Fagius hanc vocem ſcripſit, cum forte alii *Æmuna* præferrent.

& ita concinnatæ, ut plerisque, qui in hoc ſcriptionis genere haud ſine laude occupati fuerunt, palmam feciſſe dubiam beatus Vir videatur. Aliud vero opus, cujus gratia eum heic loci nominamus, idem per multos annos molitus eſt, ac ſtupenda diligentia felicique dexteritate, ſi non omnino, maximam tamen partem perfecit, quo inſigniter gloriari potuiſſet Suevia noſtra, ni præmatura Viri fata editionem ſufflaminaſſent. Condidit enim is in minori forma ea, qua potuit fieri, ἀκριβεια templum Hieroſolymitanum ad architectonices ac Judaicarum antiquitatum, quarum intima in adyta indefeſſo & multorum annorum ſtudio penetravit, leges, & luculento ſimul ſcripto inſtituti ſui rationes ita, omnibus ad id dotibus affatim inſtructus, exponere anniſus fuit, ut cunctorum, qui in eodem ſtadio *(s)* decurrerunt, eum conatus

(s) Inter præſtantiſſima hujusce generis ſcripta referendum omnino cenſet Vir Summe Venerandus atque Celeberrimus D. Eberh. Dav. Hauberus, de cujus amicitia nobis impenſe gratulamur, in Epitome Hiſtoriæ Mapparum Geographicarum pag. 156. B. Matthiæ Hafenrefferi, Theologi, dum viveret, ſummi, Templum Ezechielis, ab ipſo Joanne Keplero, at quam idoneo judice! maximi æſtimatum.

tus feliciter ſuperaturum fuiſſe, harum rerum probe gnari judicaverint. Jam pridem Eruditi obſervarunt, ad conſummatiſſimam templi hujus ſtructuram rite demonſtrandam ſolida & architectonices & Judaicarum antiquitatum, ex ipſis ſuis fontibus, Talmudicis præſertim ſcriptis, cognoſcendarum, peritia omnino opus eſſe. Ea autem præditum fuiſſe B. Spechtium, atque ita ad tantum opus juſte expediendum aptiſſimum, idonei judices (*t*) cenſuerunt. Morte igitur ejus orbis literatus haud exiguam plagam accepit; ſpes tamen ſupereſt, forte nos habituros eſſe ſaltim ſciagraphiam illius templi in ſplendido & exaſciatiſſimo Celeberrimi D. Jo. Jacobi Scheuchzeri, noſtri ſæculi Plinii, opere Biblico Phyſico, quod in Suevia noſtra nitidiſſime excuditur, cujusque nonnullæ jam partes, doctorum plauſibus dignæ, in publicum prodierunt.

§. 9.

Singularia etiam ſunt in Hebræas literas merita B. MATTHÆI HILLERI, Stutgar-

(*t*) Vid. laudat. D. Hauber. l. c. p. 155.

Stutgardia-Würtembergici, Viri, cum viveret, & ampliſſimorum munerum dignitate & exquiſitæ eruditionis gloria maxime ſpectabilis, quem GERMANIÆ BOCHARTUM haud ab re vocaveris. Geographiæ enim ſacræ ſcientiſſimum eum, omnibusque ad illam amplificandam ſubſidiis ornatiſſimum fuiſſe, ſatis ſuperque comprobant eruditionis edecumatæ diſſertationes, huc pertinentes, ac in Syntagmatibus ejus hermeneuticis, Tubingæ typis A. 1711. exſcriptis, obviæ, ulteriusque teſtaretur Commentarius in Hieronymum de locis Ebr. ſi ad umbilicum perductus fuiſſet. Ad illius præterea exemplum improbo labore & accurata induſtria concinnavit HIEROPHYTICON, ſive Commentarium in loca Scripturæ ſacræ, quæ Plantarum faciunt mentionem, in duas partes diſtinctum, quarum prior de arboribus, poſterior de herbis dicta complectitur, opus ſane ætatem laturum, e quo quæſtum multo uberrimum percipere poſſunt ſacræ philologiæ cultores. Quod pronunciandum etiam eſt de ejus ONOMASTICO SACRO, in duas itidem partes diviſo, quarum in priori nominum propriorum, quæ in ſecris literis leguntur, origo, analogia & ſenſus declaratur, in poſteriori juxta ordinem

nem literarum digeſta nomina explicantur, & hinc, quibus rebus perſonisque fuerint impoſita, ſignificatur: quod argumentum Vir doctiſſimus novo plane inſtituto primus ita tractavit, ut conſtitutis certis nominum claſſibus, ſingulisque eorum ad eas revocatis, ex certis artis principiis illorum rationem reddiderit, tam felici ſucceſſu, ut reliquis omnibus, in hac palæſtra verſatis, judice Celeb. Jo. Chriſtoph. Wolfio, Theologo pariter ac Philologo conſummatiſſimo *(u)*; palmam præripuiſſe merito exiſtimetur. In primis autem magnam nominis illius gloriam conciliavit liber DE ARCANO KETHIB ET KERI, quam materiam ſingulari & inaudita antea ratione haud ſine ſagaciſſimi ingenii laude perſecutus eſt, ſententiam ejus utroque pollice approbantibus Viris quibusdam φιλολογικωτάτοις, quos inter Wagenſeilius ὁ πανυ ſibi firmiter perſuaſum eſſe profeſſus eſt, non ſine afflatu aliquo divino illam ipſi in mentem veniſſe; Jo. Henricus Heideggerus autem hoc judicium tulit: *Nulla tam ingrata*

(*u*) In Biblioth. Hebr. Part. II. p. 568. conf. B. Buddei Iſagoge Hiſtorico-Theolog. ad Theologiam univerſam Part. II. p. 1611. & 1681.

grata & immemor beneficii posteritas erit, quin Hillerum, alterum velut Oedipum, sublatarum tot difficultatum, integritatis Codicum originalium vindicatæ, & arcani conspirantium in eundem sensum lectionum variantium reserati laudibus ad tertium usque cœlum ferat (x). Omnibus igitur votis optandum est, ut faventem Lucinam experiatur, facilique, qui sumtus ei in lucem producendo ferat, bibliopola gaudeat, postremum beati Viri opus, omnium, censente dignissimo ejus ac eruditissimo Genero Salomone Pfistero *(y)*, præstantissimum, quippe in quod tanti interpretis eruditio universa velut in centrum confluxisse videri possit, THESAURUS videlicet LINGUÆ SANCTÆ HERMENEVUS, in quo perspicua brevitate non solum Idiotismi sive peculiaria ac singularia divini Codicis loquendi genera, sed & æquivalentia sive Ἰσοδυναμια, locutiones ἐκ παραλληλε & cognatæ significationis vocabula, verba item translata & figurata, ea quoque, quæ per similitudines & parabolice & typice, quæ porro proverbialiter,

(x) Vid. Gel. Wolff. l. c. p. 516.

(y) In egregia præfatione, Hierophytico præmissa, in qua beati Soceri vitam ac merita descripsit.

liter, denique ea, quæ ad actionem pertinent, & ex ritu veteri dicta ſunt &c. exponuntur: opus omnibus ſacri Codicis ſcrutatoribus perquam utile, imo fere neceſſarium. Tantus itaque Vir fecit, ne exteris gentibus ſummos Philologos invidere neceſſe habeat Germania. Illo, cujus nomen æternitatis albo inſcriptum, ceu eximio ornamento, jure ſuperbire poteſt Suevia noſtra. Et pauciſſimos ſane Orbis literatus oſtentandos habet, qui eum meritorum in Sionæas Muſas amplitudine ac pondere æquaverint, fortaſſisque neminem, qui ſuperaverit.

§. 10.

Nunc ab Hebraicis literis ad Syriacas transgredior. Qui primus eas in Germaniam feliciter invexit, Suevus fuit, JOANNES nimirum ALBERTUS WIDMANSTADIUS, Juris-Conſultus, graviſſimis muneribus glorioſe perfunctus, ac tandem ſub Auguſtiſſimo Imperatore FERDINANDO Auſtriæ Orientalis Cancellarius, quem patriæ ſuæ, Sueviæ noſtræ, poſtliminio ceu inſigne decus vindicare mearum eſſe partium arbitror, cum illi, quantum in ipſis fuit, eripuerint tantum Virum Andreas Wengerſcius

ſcius *(z)*, Georgius Matthias Kœnigius *(a)*, & hos minus fidos duces ſecutus Clar. Davides Czvittingerus *(b)*, qui Hungaris eum, ſed manifeſto errore, annumerant. *(bb)* Haud enim obſcure illum Guilielmus Poſtellus (aliquandiu ipſo Vindobonæ familiariter uſus, Suevis accenſet in oratione oppido commemorabili de linguæ Ebraicæ & Arabicæ excellentia & penes Latinos neceſſario uſu, quam rariſſime antehac obviam

(z) In Sclavonia Reformata.
(a) In Bibliotheca Vet. & Nova f. 868.
(b) In Specimine Hungariæ literatæ p. 404.
(bb) Hac occaſione non incongruum videtur, quædam memorabilia de Poſtello ipſis Widmanſtadii verbis ex ejus in Novum Teſt. Syriacum præfatione referre. „Inſperantibus nobis intervenit Guil. Po„ſtellus, vir ſupra ætatis noſtræ conſuetudinem, „ſupra etiam multorum captum mirabiliter eruditus, „qui parte Aſiæ meliore ſemel iterumque peragrata, „magnas & Syriacæ & Arabicæ linguæ opeis con„ſectatus, minime vulgare nobis attulit adjumen„tum: a quo multo majus habituri eramus, niſi per„verſi quidam homines, quibus turbare omnia libet, „conflictis de periculo ſibi procreato rumoribus, eum, „ne hic diutius hæreret, deterruiſſent. Confirma„vit autem ſuſpicionem ei motam inopinatas even„tus. Nam cum Kal. Maji anni ſuperioris (1554.) „clam abiiſſet, ac pridie Non. Felix Neapolitanus Sa„cerdos Franciſcano inſtituto devotus, corpore, fi„gura, facie & ſtatura (ut nobis affirmant, qui eum „hic

obviam in Bibliotheca Bremenſi *(c)* pulcherrimarum rerum promtuario, Vir πολυμαθεςατος D. Theodorus Haſæus, jucundiſſimum eruditis nomen, luci reſtituit. Cum enim debitis ornaſſet præconiis propenſiſſimum FERDINANDI ad ſtudia Orientalium linguarum, Syriacæ præſertim & Arabicæ, in rei Chriſtianæ incrementum excitanda fovendaque animum, dixiſſetque, Deum illi ſuppeditaſſe inſtrumentum, tantæ rei ſub ipſo promovendæ aptum, ita pergit: *Ea itaque de re tunc omnino, incogitantem Joannem Albertum Widmeſtadium in illis linguis, & quam late pateant, inſtructiſſimum, ſed tunc, ut diximus, uſque adeo incogitantem, ut niſi*

hic & Patavii in æde Antoniana ſæpe viderunt) ſi millimus Julium Brixienſem ejusdem Ordinis ſocium, trucidaſſet, atque Senatus noſter parricidam e fuga retrahendum cenſuiſſet, datæque inquiſitoribus, in Pannoniam inferiorem, Marcomannos, Noricum Ripenſe, & ad ſinum uſque Adriaticum celeriter dimiſſis, apertæ tabulæ fide publica conſignatæ fuiſſent, quarum argumento ſceleris author inve ſtigari poſſet: ſiniſtro caſu accidit, ut Poſtellus in Venetorum finibus, publicarum literarum veriſimi li indicio Municipiorum decurionibus propoſito, in cuſtodiam traderetur: unde altero die, ſuperis ejus innocentiæ ſuffragantibus, elapſus fuit.„

(*c*) Claſſ. VII. Faſcic. II. pag. 193. verba autem allegata p. 213. extant.

injuria bellorum in Germania civilium patria pulſus, atque cum uxore & liberis exilio ſuo locum in Auſtriaco Regno deligere coactus fuiſſet, apud ſuos Suevos, in quorum Republica cum dignitate fuit, delituiſſet, in hanc tantam molitionem divexare, & quorſum vellet rapere voluit providentia. Per bellum illud civile intelligendum eſſe id, quod a Mauritio, Saxoniæ Electore, & Confœderatis adverſus Carolum V. non infeliciter geſtum fuit, ac laudabili Ferdinandi cura Paſſavii *(d)* A. 1552. compoſitum, ex ipſius Widmanſtadii luculenta optimæque frugis pleniſſima *(dd)* præfatione in Novum Teſtamentum Syriacum didici. Hoc vero bellum Pannoniam, utpote procul ab ea actum, minime adflixit; unde palam eſt, illam Widmanſtadii patriam, qua turbis iſtis inteſtinis eum pulſum fuiſſe memorat Poſtellus,

(*d*) Nemini ignota eſt celebris illa Transactio Paſſavienſis, *der Paſſauiſche Vertrag*, hinc nomen nacta.

(*dd*) In ea concinne præter alia Vir eruditiſſimus ſtudii linguarum Orientalium reſtaurati hiſtoriam enarrat. Verba ejus huc pertinentia digna non immerito cenſuit Aub. Miræus, quæ magnam partem in opere ſuo de Scriptor. Sæc. XVI. Cap. LXXI. f. 219. edit. Hamburg. repeteret.

ſtellus, haud eſſe, ſed Sueviam potius, quod & e ſequentibus verbis dilucidius patet.

§. 11.

Cum autem Sueviæ noſtræ maximopere interſit, ne tanto cive præter jus & fas orbetur, ipſius Widmanſtadii, teſtis omni exceptione majoris, hanc in rem verba, etſi prolixiora, e laudata præfatione huc transferre non piget: neque, ſcio, quenquam illa, utpote ad hiſtoriam ſimul primæ Novi Teſtamenti Syriaci editionis illuſtrandam facientia, legiſſe pœnitebit, cum ea præſertim pauciſſimorum in manibus verſetur, multis quippe illius exemplaribus nunquam ſatis prædicanda Ferdinandi munificentia in Syriam miſſis. Ita autem ibi Vir Summus: *Quum annis abhinc quatuor (e) magiſtratu, quem in Othonis, ampliſſimi Rom. Eccl. Senatoris, Auguſtanique Pontificis ditione gerebam, abire ultro conſtituiſſem, jamque in prædiis meis ad amœniſſimam Danubii ripam ſitis, omnia honeſti otii præſidia diſpoſuiſſem, ut tempus id omne, quod a clientelis ſane ſplendidis &*

(e) Scripſit autem eam præfationem A. 1555. V. Id. Junii.

amicorum neceſſitatibus vacuum haberem, præclari hujus operis meditationi transmitterem, exortum eſt civile bellum a Gallorum Rege in Germania commotum, quod in eo Sueviæ tractu primum exarſit, meque direptis bonis cum uxore puerpera, liberis parvis & familia omni, vagum & exulem in Noricos monteis ejecit, ibique & patrimonio exutum & de Rep. etiam Germaniæ, non tantum de privato meo otio deſperantem, graviter afflixit. Et ecce repente a Maj. T. (f) quo tempore incredibili ſapientia virtuteque tua prope divina peſtiferum illud, omnique odio imbutum bellum Pataviæ reſtinxiſti, ad ſenatoriæ dignitatis gradum in tua Regia tenendum evocatus, atque inde ad hunc magiſtratum, quo amplior togato homini in Auſtriæ Orient. Regno tuo mandari non poteſt, benigniſſime provectus fui: quibus divinæ voluntatis indiciis commotus de conatu & ſpe mea, quam annorum longa ſerie jam commemorata de linguis hisce (g) ad Eccleſiæ Catholicæ commoda referendis aliquando conceperam, & ad extremum in T. M. patrocinio exituram animo providebam, depulſus non fui, ſed ea multo

(f) Ferdinandum alloquitur.
(g) Syrica ſcilicet & Arabica.

multo etiam magis, etsi tuta tranquillaque pax cum belli authoribus per M. T. confirmata reditum mihi in patriam polliceretur, incitatus a Georgio Giengero primum, deinde a Jacobo Jona præclara eruditione Juriscc. atque virtutis utriusque merito in arcani senatus consilium a M. T. adscriptis (quoniam ut una ambos interpellarem, non contigit) quid sibi ea de re placeret, exquisivi: quorum utrumque ut semper amicissimum habui, ita ex eorum benevolentiæ conjunctione videor mihi in hac causa commodum ingens collegisse. Uterque enim, rei magnitudine perspecta, consilio, opera & studio præsto mihi fuerunt. Et cum jam in ea cura versaremur, ex improviso mihi a Conventu Principum, qui Helioprunæ agebantur, reverenti Moses Meredinæus, ex Mesopotamia Catholicus sacerdos, in Rhetia Ripensi occurrit: qui, ut in Pontificio diplomate literisque amicorum ipsi ad me datis patet, ab Ignatio Patriarcha Antiocheno cum ob alias gravissimas causas, tum ut Novi Testamenti volumen, prelo excusorio multiplicatum, in Syriam reportaret, Romam missus orator fuit, quo Ignatius ipse, tanquam pastor prudens & attentus, sacrorum librorum inopiam, ex qua Christiani Syri, multorum annorum memoria, majorem in modum laborassent, Lati-

næ Eccleſiæ beneficentia ſuſtentare poſſet. Et cum nec Romæ, neque Venetiis, quamvis ampliſſimorum hominum favore & gratia niteretur, quenquam reperiſſet, qui magnum hoc & difficile opus attentare vellet: tandem nonnullorum, qui eadem fere ſollicitudine urgeri me norant, conſilia ſequutus, in comitatu Rainaldi Poli, ſanctitate vitæ, Chriſtianaque doctrina præſtantiſſimi Senatoris, qui tum in Britanniam Legatus proficiſcebatur, ad me contendit, atque in itinere, quod ipſe ex Italia in Sueviam (unde me armis civilibus pulſum fuiſſe adhuc ignorabat) ego ex Suevia in Pannoniam habebamus, ſive caſu id accidit, ſive divina aliqua commonſtratione, offendit. Eum igitur ceu divinitus mihi oblatum hoc adduxi, remque omnem, ut inſtituta hactenus geſtaque fuit, M. T. ordine expoſui: unde pro illuſtri tua pietate & avita neceſſitudine, quam cum religionis Catholicæ rationibus conjunctam habes, perpetuoque tueris, benigne liberaliterque ſumptus Te facturum in magnificum hoc opus pollicitus fuiſti, mihique, ut diligentia noſtra emendatum ſplendidumque in lucem emitteretur, imperaſti: ut Aſiaticis Chriſtianis, qui vetere Syrorum lingua partim vulgo, partim in ſacris tantum utuntur, eorumque incredibilis multitudo, ut Syri ipſi affirmant,

ad

ad finem uſque Orbis illius diſperſa ob Evangelicorum librorum indigentiam, præter baptiſmum, vix ulla religionis veſtigia retinent, immortale hoc beneficium tribuere poſſes &c.

§. 12.

Sueviam ergo patriam agnovit ὁ πανυ Widmanſtadius, quem diſtinctius adhuc *(h)* Nallinga-Ulmenſem in Syria Græca p. 10. vocat Celeb. *Hermannus von der Hardt*, qui ibidem etiam ejus inſignia, ligno inciſa, exhibet. Is *(i)* autem etſi ſingulari quodam naturæ impulſu ad literarum Orientalium ſtudia ferebatur, adoleſcentibus tamen adhuc ad ea ſtrenue proſequenda a Capnione, ſtimulos ipſi acriores admovente, magis incitatus per omnem vitam iis diligentiſſime incubuit, uſus præceptoribus dexterrimis, & in Academia quidem Tubingenſi Jacobo Jona *(k)*, in exteris autem, quas

(h) Nellinga legendum videtur, quod pagi Ulmenſis ditionis nomen eſt.

(i) Nemini ingrata fore ſperamus, quæ hac occaſione de vita Viri ſummi, minus, quam par eſt, cognita memorabimus.

(k) Qui poſtmodum Ferdinandi Vice-Cancellarius, & arcanorum conſiliorum adminiſter fuit, quem com-

peragravit, regionibus cum aliis (*), tum Jacobo Lopes Stunica, Hiſpanorum ejus ævi facile doctiſſimo, & Græcæ, Hebraicæ Arabicæque linguarum callentiſſimo, nec non Theſeo Ambroſio, Albonesii Regulo, Jurisconſulto, & primo Syriaſmi in Italia, imo omni Europa, reſtauratore. Quomodo ad hunc bonis avibus delatus, ab eoque exceptus atque inſtitutus fuerit, ipſe Widmanſtadius loco citato his verbis commemorat: *Cum ego Chriſtianæ ſalutis anno MDXXIX. in Divi Caroli Cæſaris Invictiſſimi, ſacri diadematis cauſa Bononiam proficiſcentis comitatu eſſem, & mihi contubernalibusque meis Regii Lepidi a metatoribus hoſpitium juxta cœnobium, ubi Theſeus jam ſenex vitam agebat, forte attributum fuiſſet, poſtridie ejus diei templum ingreſſus venerandum ſenem caſu obvium ſalutavi. Qui, ut me de cœnobii bibliotheca rarisque in ea libris ſciſcitari intellexit, eo veſtigio in conclave introduxit,*

communem Germaniæ in lingua Hebræa & Græca præceptorem in laudata præfatione appellat Widmanſtadius.

(*) Taurini v. g. Mar. Datylum Hebræum, Jo. Pici Mirandul. præceptorem, arcanos de divino auditu libros in ſumma ſenectute ſubtiliſſime interpretantem ſe audiviſſe teſtatur l. c. Widmanſtadius.

troduxit, & arreptis e pluteo ſacroſanctis Evangeliis Syriace ſcriptis, Hoſpes, inquit ingemiſcens, peregrinis his ſtudiis deditus ſum annis circiter XV. eaque ſine rivali ad hanc diem amavi. Utinam obveniat mihi aliquando prompto paratoque ingenio vir, qui ſermonem hunc, Jeſu Chriſti ſanctiſſimis labris conſecratum, poſteris tanquam per manus tradentem, (nam ætas mihi prope jam exacta eſt,) a me accipere velit. Cui ego, Pater, inquam, ſi paucarum horarum operæ parcere nolueris, auditorem me habebis in hac expeditione expeditiſſimum. Quo audito Theſeus omnes in ea lingua theſauros, multo ſudore ſibi comparatos, protulit, manuque ſua, quantum anguſtia temporis ingeniique mei vires tum ferebant, ex commentariis ſuis deſcripſit, & mihi ea obteſtatione ſuppeditavit, ut, quo me beneficio tum complecteretur, id olim apud Eccleſiam Jeſu Chriſti collocarem. Sed & audire de ulterioribus ſuis in hoc ſtudio progreſſibus exponentem Widmanſtadium juvat: *Quarto poſt anno in Bibliotheca Lactantii Ptolemei (**) reperi quatuor Evangelio-*

 rum

(**) Non hunc ſolum, ſed & ejus filios Joannem Lælium ac Æmylium ſacrarum literarum omnium peritia inſignes extitiſſe, Noſter memorat.

rum libros, una cum Ephremi & Jacobi Syrorum opuſculis nonnullis, quæ ipſe mox transſcripſi, atque cum Theſei munere ſplendidiſſimo conſervavi: uſque dum Simeonis, Syrorum, qui juga Libani incolunt, Epiſcopi Catholici & doctiſſimi viri inſtitutione profeci adeo, ut ſentirem, Theſei deſiderium, quod e Chriſti lingua in Latinam Eccleſiam introducenda capiebat, leniri jam aliquantum poſſe.

§. 13.

Ita inſtitutus, primus Syriacas Muſas in Germaniam perduxit, quas humaniſſime præſertim & obviis veluti ulnis excepit, ac indulgentiſſime fovit Mæcenatum ejus ætatis maximus, FERDINANDUS glorioſiſſimæ memoriæ Imperator, cujus ſub auſpiciis *(l)* prima omnium, eaque nitidiſſima, Novi Teſtamenti Syriaci editio Viennæ A. MDLV. in quarti ordinis forma curata eſt vigiliis

(l) Miror, hujus rei, qua orbem Chriſtianum ſibi devinctiſſimum reddidit Ferdinandus, ejus panegyriſtas, quorum orationes Simon Schardius cum aliis hujusmodi orationibus funebribus Francof. A. 1566. & ſq. vulgavit, nullam prorſus mentionem feciſſe.

liis *(ll)* Widmanſtadii noſtri, Moſe Meredinæo, Sacerdote Syro, multam operam & ſtudium navante. Characteres Syros ex Norici ferri acie ſculpſit Caſpar Craphtus, Elvangenſis Suevus; opus autem ære perennius excudit Michaël Zymmermannus. Hujus editionis hiſtoriam accurate, judice Jacobo le Long *(m)*, compoſuit Andreas Mullerus Greiffenhagius in pererudita diſſertatione de Syriacis librorum ſacrorum verſionibus, deque Viennenſi Antiocheni textus N. T. editione, quæ cum Moſis Mardeni & A. Maſii Epiſtolis Syriacis &c. A. 1673. Berolini prodiit *(n)*. Quale autem præmium, hoc labore feliciter perfunctus, Widmanſtadius optimus ab Auguſtiſſimo Mæcenate deſideraverit, ex ipſis ejus verbis cognoſcere nemini, ſpero, tædio erit: *Ad me hosceque meos labores inter publicas ſollicitudines juſſu Tuo ſuſceptos quod attinet, Majeſtatem Tuam ſupplex imploro, ut*

(ll) Huic labori nocturnas ſe horas prope innumeras, diurnis quippe publico muneri deſtinatis, impendiſſe ipſe Vir optimus teſtatur.

(m) In Biblioth. S. Tomo I. f. 104. edit. Pariſ. recentiſſimæ.

(n) Hunc librum, etſi nulli operæ pepercerim, hactenus nanciſci haud potui.

ut mihi, ſi ullum pro iis præmium retribuendum cenſes, hoc magiſtratu cum bona tua voluntate & gratia abire, atque ab ejuscemodi curis Reip. perpetuis vacare concedas. Nam hoc tempore aliud nihil meditor, quam ut publicorum munerum invidiam atque offenſiones, quas abſque vulnere æquitatis vitare difficile eſt, tandem aliquando effugere, ac reliquum vitæ meæ tempus inchoatis a me quondam Chriſtianæ Reip. cauſa doctrinæ ſtudiis transmittere queam. Jam enim cum ſupra annos XXII. in fluctuum Reip. motu & agitatione cum dignitate vixerim, utraque mediam ætatem provectus ſim, deſiderio portus, in quem honeſti otii præſidia ſubducam, me teneri, aut quietis & tranquillitatis beneficium a M. T. exſpectare, nemo ſapiens mirabitur, nemo frugi & modeſtus reprehendet, nemoque niſi æſtimator improbus inertiam turpem poterit interpretari. Quodſi, uti ſpero, & otium illud beatum & reditum in patriam impetravero, M. T. non ſolum otii fructus, ſed & uxoris & liberorum, quos mihi Pannonicum hoc cœlum (o) adverſa adhuc valetudine adflictos ex pluribus heic amiſſis reliquos fecit, incolu-

(o) Hinc rurſus apparet, Pannoniam non fuiſſe Ipſius patriam.

incolumitatem debere me perpetuo profitebor. Tanti ſcilicet Viro præſtantiſſimo erat honeſtum otium literarium, quo unice ad rei ſacræ pomœria provehenda & linguarum ſtudium propagandum uti geſtiebat, ut illud multis paraſangis præferret ſplendidiſſimis dignitatibus, quas alii aviditſime prenſare ſolent. Reſtant vero & alia de ipſo memoranda. Primus etiam Germanorum Syriacæ linguæ elementa eodem anno Viennæ publici juris fecit, daturus porro illius idiomatis Lexicon, quod literis jam maximam partem conſignaverat, ni fata obſtitiſſent. Videtur enim non ita multo poſt Vir, immortalitate digniſſimus, mortalium cœtui ereptus eſſe. Ejus certe Bibliothecam ſub anni MDLIX. exordium alii jam domino, nempe Georgio Sigiſmundo Seldio, Conſiliario Cæſ. intimæ admiſſionis, adſcriptam fuiſſe, *(o o)* e Joachimi Camerarii Epiſtolis p. 113. ſqq. comperi, quod poſt ſuprema prioris poſſeſſoris fata demum contigiſſe veriſimile eſt.

§. 14.

(o o) Poſthac vero omnes Widmanſtadii libros Sereniſſimum Bavariæ Ducem ſibi redemiſſe, memorat Andreas Maſius in præfatione Grammaticæ ſuæ Syriacæ, quæ in ſeptimo Bibliorum polyglottorum Antverpienſium Tomo extat.

§. 14.

Præmaturam mortem prohibuiſſe pariter conjicio, quo minus noſter tam præclare etiam de Arabica lingua, ac de Syriaca, mereretur. Illius enim æque gnarus erat, tantaque, cum adhuc in viridi ætatis flore conſtitutus eſſet, ejus cognoſcendæ cupiditate flagrabat, ut propterea in ipſam Africam, quod ſemel jam infeliciter tentaverat, Leonis Eliberitani, (†) hujus ſermonis callentiſſimi, audiendi cauſa navigare decrevit. Sed in

(†) Digna, quæ huc transferamus, videntur, de Leone hoc, Africani nomine alias cognito, a Widmanſtadio in laudata ſæpius præfatione his verbis relata: „Cum ſuperioribus ſeculis Arabum literæ poſt „Græcarum diſciplinarum interitum propter Philo„ſophiæ, Medicinæ, Aſtrologiæ, Chymiſticæ aut „Magicæ artis doctrinam tantum a noſtris, iisque „pauciſſimis expetitæ fuiſſent, Leonis (X.) Pon„tificatu iis literis rudimenta ejusmodi Romæ po„ſita fuerunt, ut in earum incunabulis Chriſtianæ „religioni opem & auxilium polliceri viderentur. „Accidit enim, ut Joh. Leo Eliberitanus, (qui, „Mauris a Rege Catholico pulſis, fortunam gentis „ſuæ ſecutus in Aphricam transmiſit) Pheſſæ in lite„rarum & artium Arabicarum ſtudiis operæ mul„tum poneret, atque Aphrica Aſiaque annis aliquot „peragrata, in Mauritaniam ad ſuos rediturus, pro„pe Lotophagiten inſulam a claſſe noſtra cum cæ„teris

in medio itinere Romæ detentus eſt ab Ægidio Viterbienſi Cardin. Arabice doctiſſimo, cujus in ædibus multum profecit, præſertim cum illi poſt ejus obitum, Hieronymo Seripando itidem Cardin. curante, omnem illius bibliothecam & maxime ſecretos commentarios manu ipſius notisque perplexis de rebus variis ſcriptos evolvere concederetur. Eam autem Arabici idiomatis peritiam ipſi in oratione ſupra allegata pag. 215. Poſtellus, idoneus harum rerum æſtimator, adſcribit, ut illius profeſſorem & interpretem præſtare potuiſſet. Idem etiam refert, Virum

„teris vectoribus caperetur,& propter ingenii amœ„nitatem eruditionemque varlam Leoni X tanquam „ex manubiis votiva donatio Romam miſſus, ſacro „fonte tingeretur, Pontificique admodum charus „eſſet; qua occaſione Ægidium Vlterbienſem Se„natorem doctiſſ. Arabicæ linguæ præceptis ad hoc „diligenter compoſitis inſtituit: quo etiam tempo„re eundem & Juſtinianus Nebienſis Antiſtes, con„ciſis quibusdam & exilibus, ut mihi viſæ ſunt, nor„mis e Corſica miſſis, veluti trajectitio docendi mu„nere functus, ad percipiendam eam linguam infor„mabat. Et cum ea tempeſtate præclara ingenia „prophanis tantum literis delectarentur, factum eſt, „ut Ægidius, poſtquam & Juſtinianus ex hac vita, & „Leo Eliberitanus, Catholica fide cum Punica com„mutata, Tunnetem migraſſet, Arabicarum literarum „dignitatem inter Chriſtianos prope ſolus tuere„tur &c.

§. 15.

Talis autem tantusque cum eſſet Noſter, mirum haud eſt, eum non potuiſſe effugere invidiam, virtutis comitem. Summa enim plerumque petit livor. Factum hinc eſt, ut inimici, a nefario dæmone, egregia Viri molimina regno ſuo funeſta ſufflaminaturo, excitati, plus ſimplici vice diſpoſitis ſicariis capiti ejus inſidias tenderent *(pp)*, quas tamen, provido Numine ſic dirigente, feliciter ſu-

primum inter Germanos Lexicon Arabicum concinnaſſe refert. Sed ad manus mihi eſt hujus linguæ Dictionarium, quod Sebaſtianus Zolcher Nerobergenſis conſcripſit, antequam Raphelengius eam in ſe operam ſuſciperet. Adjecit nempe is magno ſtudio marginibus Dictionarii Chaldaici Sebaſtiani Munſteri Arabicas voces phraſesque, Latinâ verſione & auctoritatibus ſuis inſtructas. In principio libri hæc leguntur: *Baſtiani Zolcher Alemanni, 1552. augmentatum per eundem cum verbis Arabicis:* in calce autem: *Baſt. Zolcher Nerobergenſ. 1560. addidit dictiones Arabicas, ut innoteſcat lingua Arabica omnibus nationibus terræ.* Meminit is alicubi, ſe An. 1540. Damaſci verſatum fuiſſe. Cum vero hoc dictionarium in publicam lucem haud exierit, non immerito Ven. Reimmannus eum Raphelengio honorem tribuit, quod primus Germanorum φιλοϛλωπλης Arabico Lexico, typis nempe excuſo, inſtruxerit.

(pp) Id ipſe teſtatur Widmanſtadius. Poſtquam enim commemoraſſet, ingenti ſe Syriaci Arabicique ſermo-

peravit, nec a conatibus laude dignissimis absterreri se passus est. Famam quoque illius quidam calumniarum caupo impudentissimo ore conspurcare, criminumque teterrimorum reum peragere eum, sed incassum, laboravit. Versatur in manibus meis spurcissimi blateratoris invectiva in integerrimum virum oratio

---

sermonis in Christianas tandem aliquando scholas producendi desiderio annis jam duobus & viginti vehementer laboravisse, eique ut satisfaceret, apud Clementem VII. Pont. Max. Nicolai Schonbergii Capuani Antistitis doctissimi & sapientissimi Viri auctoritate, quæ summa in eo erat, accedente, conatu magno egisse, qui nisi morte Pontificis immatura interruptus fuisset, absoluta jam fore omnia, ita pergit: „Anno deinceps a Clementis obitu decimo „Marcellus Cervinus, qui nuper in summo pontifi„catu, necdum menstruo, tamen veteris sanctitatis „exemplum illustre reliquit, Petrum Ghalinum Da„mascenum Diaconum abs se, ut mihi in excolen„dis Arabicis studiis tanquam Christianæ Reip. fru„giferis adjutor esset, in Germaniam dimisit. Verum „eo quoque tempore dæmon nepharius sacratum „quendam hominem (qui ante annos quatuor confes„sione sua in carcere ab eo extorta se, dispositio in He„truria sicario, capiti meo insidias feciisse patefece„rat) instauratis de integro viribus, adjunctisque il„li duobus gladiatoribus in me ita concitavit, ut tum „prorsus appareret, eum non tam sacerdotis illius „miserabilis causam agere, quam regnum suum a „periculo, quod sibi linguæ hujus pio studio con„flari sciebat, prohibere videretur: eorum enim „machi-

ratio *(q)*, nefandis convitiis & atrociſſimis criminationibus turgida, quam forte aliquando, cum ipſa raritate rarior hodie ſit, in Amœnitatibus literariis omnium oculis exponemus, ut luculento exemplo pateat, quantum audere haud erubeſcat invidia, furiarum peſtilentiſſima.

§. 16.

Deſtinato conſilio in memoria Widmanſtadii ejusque meritorum, quæ nunquam ſatis prædicari queunt, renovanda paulo diffuſior fui, nullus dubitans, facilem ejus rei veniam ab æquis lectoribus me impetraturum eſſe, cum præſertim pauciora *(r)*, quam par erat, de maximo Viro alii prodiderint. Nunc in

„machinatione effectum fuit, ut neque ego Dama„ſceno juſtam operam dare poſſem, neque ipſe mihi, „eo, quod alter gladiatorum voluntatem ejus a me „abalienaſſet, debitam præbere vellet.

(*q*) En tibi ejus titulum: *Angeli Sealteli ad Romanos Judices pro Ambroſio de Gumppenberg contra Joannem Albertum Widmeſtadium orationum Actio prima.* A. 1544. in 4. Videtur ea in Italia typis exſcripta eſſe.

(*r*) Pauciſſima ſane ſunt, quæ de eo habentur in Kœnigii Bibliothecæ, Czvittingeri Specim. Hungar. liter. Auberti Miræi Scriptor. Sæc XVI. f. 164. & 219. edit. Hamb. Lexico Univ. Baſil. T. I. f. 79. ſub voce

reliquis pertexendis ne libellus hic in libri molem excreſcat, brevior ero. Quandoquidem vero de Arabica lingua ſermonem facere cœpi, laudanda jam mihi venit triga Suevorum, qui egregiis Widmanſtadii veſtigiis inſiſtentes, in ea excolenda ſumma cum nominis gloria deſudarunt.

§. 17.

---

voce *Alberti*: appellatur enim ibi Joannes Alberti, natusque Widmanſtadii, (quem locum in omnibus Geographis, quas nanciſci quidem potui, adhuc fruſtra quæſivi) dicitur, cognomine viri, uti videtur, in ſoli natalis nomen mutato, quod primus, ni fallor, fecit Aubertus Miræus. Irrepſit hic error quoque in Lexicon Eruditorum Germanicum, in quo p. 80. de noſtro ſub voce *Alberti* paucis agitur, de quo deinceps iterum p. 1531. edit. II. breviter ſub voce *Widmanſtadii* diſſeritur, ut adeo hic ex uno homine duo fabricati fuerint. Henricus Pantaleon in Proſopogr. Vir. Illuſtr. Germ. Part. III. f. 272. elogium exhibet Lucretii Widmanſtadii, qui forte unus idemque eſt cum noſtro: is namque in modo memorata oratione invectiva, quæ plurimis falſis vera etiam quædam admixta habet, Lucretii nomine, cum in Italia diverſaretur, uſus fuiſſe traditur. Quodſi ergo iſthoc nomine & Pantaleon noſtrum heroëm indigitavit, pauciora profecto, quam decebat, nec mendis plane deſtituta de tanto viro dixiſſe cenſendus eſt; Utinam fata nobis non invidiſſent de vita Widmanſtadii commentarios, quorum ſpem in præfatione elementorum Linguæ Syriacæ factam eſſe, refert R. M. Meelführerus in Acceſſionibus ad Almeloveenium, p. 154.

§. 17.

Primus eſt Vir in omni eruditione Orientali princeps, WILHELMUS SCHIKARDUS, Herrenberga-Wirtenbergicus, ac Orientalium linguarum, nec non Matheſeos in Academia Tubingenſi olim Profeſſor. Commemorandus is jure jam nobis ſuperius fuiſſet inter eos, quorum eximia plane & ſingularia ſunt in Hebræas literas merita (*): ſed, cum pauciſſimos ſuo ævo in Arabici præci-

(*) Ne quid enim dicam de ejus Inſtitutionibus linguæ Hebrææ, per longum temporis ſpatium in multis Germaniæ Academiis & Gymnaſiis magno cum fructu uſurpatis: luculenter demonſtrare poſſunt, quantum his in literis valuerit Schikardus, nonnulla ejus opera, cedro digna, v. g. JUS REGIUM HEBRÆORUM e tenebris Rabbinicis erutum & luci donatum, quod denuo cum ſuis obſervationibus recudendum magnus Philologus pariter ac Theologus quondam Lipſienſis D. Jo. Bened. Carpzovius curavit: BECHINAT HAPPERUSGHIM, h. e. Examinis commentationum Rabbinicarum in Moſen Prodromus vel Sectio prima, complectens generalem protheoriam de Textu Hebraico, Targum Chaldaico, Verſione Græca, Maſóreth, Kábbalah, & Peruſchim. Utinam autem præpropera Viri Summi fata nobis haud invidiſſent ipſum illud opus, cui hic prodromus præmiſſus fuit. Conſummata enim omnia ab eo exſpectari poterant; & haberemus, niſi inopinata mors impediviſſet, exquiſitum ejus examen interpretatio-

pue ſermonis peritia ſibi pares habuerit, nunc demum honorificam ejus mentionem inſtituere libuit. Tam feliciter autem in ipſos intimos illius linguæ receſſus, & quod admirandum oppido eſt, absque ductore ſua potiſſimum opera ac induſtria penetraverat, ut tota vita aliud nil egiſſe, nil didiciſſe, judice viro quodam pererudito, videri poſſet. Quam ipſi cognitus fuerit ſacer Muhammedanorum codex, Alcoranus, teſtatur PARADISUS SARACENO-JUDAICA e genuinis auctoribus ſuis, Alcorano & Talmude breviter ab eo deſcripta (**). Quam verſatus item in aliis hujus idiomatis ſcriptoribus fuerit, evincit vel ſolus liber, Tubingæ A. 1628. in 4. divulgatus, cujus integrum heic titulum, cum rarior hodie ſit, adſcribam: TARICH, h. e.

---

pretationum Hebraicarum in Geneſin, quas vel antiquiſſimi paraphraſtæ Chaldæi, vel Critici Bibliorum Maſorethæ, vel Cabbaliſtæ, vel Talmudiſtæ, vel Rabbini, vel noſtrates quoque Judæi ſuper ſacrum contextum afferunt. Taceo ejus libellum de feſto Purim, in Criticis ſacris Anglicanis luci redonatum, & Triumphatorem vapulantem, ſive refutationem blaſphemi & maledicentiſſimi cujusdam libri Hebraici, cujus prima duntaxat ſectio Tubingæ A. 1623. in 4. prodiit &c.

(**) Et excuſa Tubingæ A. 1625. in 4.

h. e. Series Regum Perſiæ, ab Ardſchir-Babekan uſque ad Jazdigerdem a Chaliphis expulſum, per annos fere 400. cum procœmio longiori, in quo vetuſti quidam Aſiæ magnates, maxime Reges Adarbigan, item genealogia Chriſti Salvatoris, quantum de illa tenent Saraceni. Omnia ex fide Manuſcripti Voluminis (***) authentici apud Muſulmannos, quod a Turcis ex Archivo Fillekenſi reportavit, & primus in Germaniam invexit Vitus Marchtaler Ulmanus. Veſtita tamen liberiori commentario, ex aliis Arabum & Hebræorum libris, aliquibus vel non editis hactenus, vel nunquam viſis Latine. Opuſculum recens, varium & paradoxum: ſpecimen ſecuturi majoris, ſerviturum hiſtoricis, philologis, geographis, & quibuslibet curioſis. Reliquit

(***) Volumen hoc genealogicum Turcico-Arabicum extat jam in Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, cui illud aliquando ſe conſecraturum in dedicatione ad glorioſiſſimæ memoriæ Imperatorem Ferdinandum II. ſpoponderat Marchtalerus, prædam hanc feliciter in expugnatione arcis Villecenſis a Turcis nactus. vid. Summe Rev. Reimmanni Bibliothecam Acroamaticam ſive Recenſionem ſpecialem Codicum MSCtorum Biblioth. Cæſar. Vindobon. p. 795.

liquit etiam Abulfedæ Principis Hamatæ eximium ac deſideratiſſimum opus geographicum, Arabice ab ipſo concinnatum, cum verſione ſua Latina (****). Præterea inter primos in Germania, qui Perſicæ linguæ gnari fuerunt, referendus eſt omnigenæ doctrinæ Vir, quem peſtifera lue in medio vitæ curſu extinctum Hugo ille Grotius, nominis omen habens, illuſtri hoc epitaphio decoravit (*****):

Qui ſtadium ſolis, penitusque latentia cœlo
Sidera, qui voces norat, Hebræe, tuas:

Optimus

(****) Vid. Celeb. D. Struvii Acta literaria e Manuſcriptis eruta, Faſc. VI. p. 31. ſqq. ſcripſit quoque Grammaticam Arabicam, quæ omnibus editis melior ac abſolutior ſperabatur, ſed deperditis operibus jam accenſenda venit, licet Peireſcius, optimus ille bonorum ingeniorum quondam æſtimator, audita noſtri morte, omnem diligentiam, teſte Gaſſendo in ejus vita pag. m. 328. adhibuerit, ut inedita ejus ſcripta, de quorum præſtantia convictus erat, ſervarentur, lucemque adſpicerent.

(*****) Vid. Spizelii Templum honoris pag 335. ſqq. & Wittenii Memor. Philoſoph. Dec. 3. p. 367. ſqq.

Optimus interpres; quam Bosphorus alluit, aulæ:
Cui melius multo, quam sibi, notus Arabs:
Pestifero rapitur SCHIKARDUS sidere: docti
Flent simul, atque artes discere quisquis amat.
Vix poterunt seri talem sperare nepotes,
Ut nunc a morbis sæcula longa vacent.

§ 18.

Alter est GEORGIUS HIERONYMUS WELSCHIUS, Augustanus, Vir, si quisquam alius, Polyhistoris summi elogio vere dignus, & uti plerarumque linguarum tam occidentalium quam orientalium gnarus, ita cumprimis in Arabica ad stuporem & miraculum usque versatus. Testantur id quodammodo scripta in lucem emissa, ac præcipue Exercitatio de Vena Medinensi; at multo tamen dilucidius testarentur alia opera, quæ partim perfecta, partim affecta reliquit, quorumque editionem mors ejus orbi erudito funestissima intercepit. Catalogum eorum cum ipse vivus, tum post

elegans? quantus humanioris literaturæ apparatus? Ego certe quoties triſtes illas e naufragio tabulas, affectorum operum Indicem, perſpicio, toties ſane hanc eruditi orbis jacturam deploro, & nunc publice omnes, qui hujus viri ſupellectilem literariam poſſident, obteſtor, ne quicquam illarum chartarum perire ſinant, typographos vero, ut tineis & blattis, quicquid earum ſupereſt, eripiant, neque publico invideant.

§. 19.

Adeo autem familiaris ipſi fuit lingua Arabica, ut paucos Chriſtianorum a renatis literis ad noſtra uſque tempora in hoc comparandos cum eo eſſe autumem. Nec enim tantum libros eo ſermone exaratos, quos diurna nocturnaque verſavit manu, expedite legere atque intelligere, ſed ipſe etiam varia opera ex aliis linguis in eam transferre, ac ſui animi ſenſa in eadem eleganter exprimere valuit, quod ſane rariſſimum eſt in homine, nunquam inter Arabes ipſos commorato. Nitidiſſime præterea pingere ejus idiomatis literas ſolebat, ut non ſine admiratione & inſigni oculorum oblectamento ſcripta ab eo, καλλιγραφιαν & enuntiationem Arabicam

cam per Petrum Ebn Diabi Halebenſem (*u*) edocto, perluſtrari poſſint. Cum animadverteret (*x*), tot alia ubique viris doctis excogitantibus, molientibus, & partim ipſo opere perficientibus, nemini uni tamen in mentem veniſſe, tale quid in linguis Orientalibus conari, quæ olim eruditi quidam Viri in Græcis magno Reip. literariæ commodo, incremento & applauſu tentarunt; animo ſecum conſtituit, integros quosdam libros Arabico ſermone conſcribere, atque ita Europææ eruditionis ſpecimina in Aſiam & Africam transmittere, ut Orientalibus cultioribus & doctioribus facilius innoteſceret, quanti & nos illorum doctrinas & politiores diſciplinas æſtimemus, & quanti etiam noſtras ſcientias recenter inventas ipſisque ignotas ab illis æſtimandas optemus, quarum maximam partem ſuis fortaſſe minores putant, aut veteribus tantum inhiantes etiam contemnunt. Primum laudabilis ejus inſtituti ſpecimen eſſe voluit librum,

(*u*) Vid. B. Schrœck. l. c. Cap. VI. p. 33.

(*x*) Vid. ipſius Welſchii Epiſtolam ad Friderlcum, Sereniſſimum Wirtemb. Ducem exaratam, quæ cum aliis ejus adjecta eſt editioni Auguſtanæ Epiſtolarum Gerh. Jo. Voſſii, f. 24.

librum, quem hoc titulo insignivit: PRETIOSÆ MEMORIÆ DELICIÆ. In isthoc opere, quod post extrema ejus fata in magni Philologi Matthiæ Frid. Beckii (*y*) Bibliothecam transiit, Arabice, adjecta tamen versione Latina, descripsit labores suos, & medica, politica ac artificiosa plurima, quorum usus esse potest non tantum ad Medicinam, sed etiam ad honestam voluptatem & remp. atque familiarem exaugendam. Si itaque Vir per omnia summus hodienum superstes foret, haberet Christianus & Europæus orbis, cujus scripta ostentare Turcis posset, qui jam & ipsi literarum studia strenue urgent, doctrinæque suæ monumenta e typographia Constantinopoli his annis erecta, cujus nuper egregia quædam specimina haud sine voluptate contemplari mihi licuit, publici juris faciunt.

§. 20.

Jungendus est Welschio magnus ejus venerator MATTHIAS FRIDERICUS BECKIUS, dignus tanto viro comes, Kauf-

byræ

(*y*) Vid. Meelführéri Accessiones ad Almeloveenii Biblioth. promissam & latentem p. 7.

byræ natus, Auguſtanæ, dum vitali aura frueretur, Eccleſiæ Miniſter, innumeris in rem literariam meritis inclutus. Huic uti omnis fere literatura Orientalis (z) multum debet, ita etiam Arabica. Pauca equidem publice proſtant, quibus eam illuſtravit, illius monumenta, ſed egregia, ſatisque teſtantia, quantum iis in literis valuerit. Præcipue omnium calculos meruit Ephemeridibus Perſarum per totum annum juxta Epochas celebriores Orientis, Alexandream, Chriſti, Diocletiani, Hegiræ, Jesdegirdicam & Gelalæam, e libello Arabice, Perſice atque Turcice Manuſcripto cum Latina verſione & quinque commentariorum libris Auguſtæ Vindel. An. 1696. in fol. publicatis, quibus magnam a Philologis, Chronologis & Aſtronomis iniit gratiam Vir longiori vita dignus, &, judice C. S. Schurz-

(z) Superius jam, cum de eximiis Suevorum in linguam Hebræam & Chaldæam meritis diſſereremus, prædicandus nobis fuiſſet Beckius, niſi brevitati ſtudendum eſſet. Optime enim vel ſola paraphraſeos Chaldaicæ in duos Paralipomen. libros, quam primus cum verſione ſua & notis vulgavit, editione de his literis meruit. De aliis operibus philologicis, ab eo confectis, ſed luci non expoſitis, vid. Meelführer. l. c. p. 5. ſqq.

Schurzfleiſchio *(a)*, at quo Viro! ad ornandas Orientis literas natus, qui quantum induſtria poſſet, tantum ingenio experiri voluit, nulla difficultate aut moleſtia retardatus. Idem etiam dignum illum cenſuit, quem honorifico optimi Germaniæ Arabis *(b)* elogio adficeret.

§. 21.

Sed & Turcarum lingua primum ſuum in Germania ſtatorem atque vindicem agnoſcit Suevum, HIERONYMUM videlicet MEGISERUM, Stutgardia Würtembergicum *(c)*, qui ejus & Grammaticam & breve Lexicon concinnavit, inque publicum emiſit. Omnem vero rem literariam Turcarum egregio felici fœcundoque WELSCHII ἐκ μακαρίτου calamo illuſtratam haberemus, niſi bibliopolæ ac typographi operi, cedro digno, obſtetricantes manus ferre hactenus recuſaſ-

(a) Vid. B. Pipping. Memor. Theolog. Decad. VI. p. 923.

(b) In Epiſtol. Arcan. Tom. II. p. 315.

(c) Vid. Cel. Jac. Frid. Reimmanni Hiſtor. liter. German. Vol. III. p. 369.

cusassent. En tibi libri titulum *(d)*, ceu tristem e naufragio tabulam, ut ex hoc ungue leonem aliquatenus agnoscas: *Georg. Hier. Welschii Historia literaria Turcarum, in qua ex Manuscripto Constantinopolitano agitur de institutione ipsorum puerili, de studiis gymnasticis & academicis, sacris, profanis, theologicis, scholasticis, juridicis, medicis, mathematicis, astrologicis, stipendiis, item honoribus, præmiis, exercitiis spiritualibus, & gradibus professionis. Præmittuntur nonnulla ad script. vet. pertinentia, quibus singula illustrantur, & plura etiam adjiciuntur de precibus illorum, orationibus, libris, bibliothecis, poëmatibus, inscriptionibus, numismatibus, aliisque ad literas pertinentibus, quorum pleraque antiquioribus conferuntur.*

§. 22.

Denique & primus inter Germanos, ac forsitan omnes Europæos, Lexicon Æthiopicum

(d) Debemus hunc Rud. Mart. Meelführeri Accessionibus ad Almeloveenii Bibliothecam promissam & latentem p. 122. cujus in calce etiam extat operis desideratissimi, quod e Bibliotheca Spizeliana divulgare decreverat B. Matth. Frid. Beckius, sciagraphia.

picum Suevus quoque compoſuit, GEORGIUS nempe WEIGANMEJERUS *(e)*, patria Eſslingenſis ac Profeſſor olim Tubingenſis, quod tamen in dias luminis auras haud prodiit, ſed Manuſcriptum tandem in Jobi Ludolfi Bibliothecam migravit, qui literis & hiſtoriæ Abeſſinorum tantum, quantum in Europa nemo, lucis attulit *(f)*.

§. 23.

Hæc itaque, niſi egregie fallor, perſpicue ſatis evincunt, eximia plane eſſe Suevorum in literaturam Orientalem merita. Ampliſſimus nunc pateret campus, in laudes etiam popularium noſtrorum excurrendi, quibus Græcæ literæ multum lucis decorisque ſui acceptum ferunt: ſed arctiores ſcriptiunculæ hujus limites, quo minus ea jam opera defungi queam, prohibent.

(e) Vid. Meelführeri Acceſſiones ad Almeloveenium p. 152. ſq.

(f) Hoc elogio in jure in epitaphio ipſi poſito vaſtiſſimæ eruditionis Virum Fillus & Gener adfecerunt, vid. B. Chriſtiani Junckeri Commentar. de ejus vita, ſcriptis & meritis p. 186.

§. 24.

Quilibet autem, cui cor ſapit, mecum lubens agnoſcet, nequaquam inutile eſſe, quod linguis, nobilioribus præcipue, impenditur, ſtudium, ſed inde uti in omne propemodum eruditionis genus, ita maxime in diviniorem ſcientiam uberrima redundare commoda, laudandaque hinc eſſe majorem in modum illorum molimina, qui non ſine ſudore atque vigiliis ad penitiora linguarum adyta viam aliis facilem parare laborant. Dudum obſervarunt viri perſpicaces, linguarum ſtudio inſuper habito atque neglecto, Eccleſiæ faciem etiam deformari, & Chriſtianiſmum paulatim in pejus ruere cœpiſſe, ſenſimque in ſanctiorem diſciplinam dogmata minus ſana irrepſiſſe; eo autem reſtaurato, diſſipatas rurſus eſſe tenebras, lucem reductam, Eccleſiæ ſuum nitorem redditum, theologiam craſſis erroribus liberatam, ac ſaniora dogmata ex ipſis fontibus ſuis, antehac abſconditis, feliciter eruta. Immortales profecto gratiæ habendæ ſunt Capnioni noſtro, qui linguas principes, Hebræam & Græcam, quibus adorandum Numen ad ſuam voluntatem ac miſericordiam mortalibus declaran-

dam

dam uti voluit, e ſuo exilio reduxit, viamque ſic ſtrenue munivit B. LUTHERO, Virorum maximo, ad emendandam bono cum Deo, ac luce perfundendam, quæ tantopere obfuſcata erat, Eccleſiam. Ipſe certe Megalander linguarum cognitionem, ab illo reſtauratam, maximi æſtimavit, vice plus ſimplici profeſſus, ſe infinitis aureorum millibus quantulacunque illa ſua ſermonis Hebræi Græcique peritia carere nolle. Cumque perſpecta multo uſu & experientia Viro beatiſſimo eſſet linguarum utilitas, nulli pepercit operæ, ut illas, Deo ejus conſilia ſecundante, in Germaniæ ſcholas reduceret, quæ præterea, ipſo potiſſimum ergodiocte, elegantiorum literarum, ſobriæ philoſophiæ, ſanioris theologiæ ac veræ pietatis ſtudium ſtrenue urgendum ſuſceperunt (*g*). Ab eo ſane tempore Scholæ Germaniæ aliam longe & nitidiorem induerunt faciem, quæ & ipſæ, repurgata a priſti-

(*g*) Hæc facunde atque erudite pro more ſuo pluribus demonſtravit Vir πολυμαθεσταλος, cujus & limatiſſima ſcripta & benevolentiam in me, quam publice ac privatim ſæpius teſtatam fecit, maximi æſtimo, D. Jo. Henricus von Seelen in ſingulari oratione de Luthero de Scholis optime merito.

priſtinis ſordibus, ſupremi Numinis beneficio & Lutheri miniſterio, Eccleſia, emendatæ inſigniter & ex priſtina barbarie ad novum humanitatis cultum revocatæ fuerunt.

§. 25.

Æquiſſimum proinde eſt, ut inter ſæcularia ſacra in memoriam Auguſtanæ Confeſſionis, CAROLO V. glorioſiſſimæ recordationis Imperatori ducentis abhinc annis exhibitæ, celebranda nec Muſæ ſileant, ſed ipſæ etiam liberalium artium & linguarum officinæ læto teſtentur gaudia plauſu. Hinc & noſtrum Lyceum, ne immemor tanti beneficii videatur, annuente Inclyto noſtro Magiſtratu, quem Deus amet, & omnigena proſperitate perfundat! pietatem ſuam actu oratorio, die XXVI. Junii inſtituendo, præſtabit. Ego primus cathedram conſcendam, demonſtrare oratione Latina non ſine precibus ad Deum O. M. pro tanti beneficii perpetuitate fundendis conaturus, Eccleſiæ reformationi Scholam noſtram ſuam quoque emendationem, & quicquid boni habet, debere, ſimulque breviter Athenæi noſtri ab ipſa ſacrorum repurgatione per integri ſæculi decurſum ad annum uſque MDCXXX.

MDCXXX. hiſtoriam enarraturus. Sequentur me quatuor ſupremæ claſſis diſcipuli, juvenes egregii, & in ſpem patriæ nati, qui luculentis probatum dare exemplis annitentur, Magiſtratum noſtrum poſt ipſa ſtatim reformationis initia de profligandis inſcitiæ tenebris & ſchola bene conſtituenda maximopere, nec ſine exoptato ſucceſſu, fuiſſe ſollicitum. Laudabunt enim ii, ordine temporis obſervato, quatuor Viros longe præſtantiſſimos, quorum duo inter primos Lycei noſtri Moderatores referendi ſunt, ERASMUS nempe OSWALDUS SCHRECKENFUCHSIUS & MARTINUS CRUSIUS, duo autem inter primæ noſtræ Scholæ alumnos, LUDOVICUS ſcilicet RABUS, & NOA MEURERUS, ille Theologus, hic Jurisconſultus excellentiſſimus, uterque variis ſcriptis de Orbe erudito optime meritus. Quorum Virorum memoriam & nomina quanti æſtimemus, vel inde elucet, quod eorum, (excepto Meurero, cujus effigiem, omni quamvis adhibita induſtria, nanciſci nobis haud licuit) icones depingi curaverimus, honoris & ornamenti ergo in auditorio noſtro ſuſpendendas, ut & oculis objiciamus ſuave aliquod, quo oblectentur, pabu-

lum. Virtutes autem illorum, artificis penicillo adumbrari neſcias, quodammodo delineare contendent adoleſcentes, noſtræ venerationis, qua tantos viros juſte proſequimur, interpretes futuri. JOANNES nempe DAVIDES WOGAVIUS, Magnifici noſtri Domini Scholarchæ & Conſulis Senioris, Generoſiſſimi D. JO. SIGISMUNDI HARTLIBII DE WALSPORN nepos, ac Experientiſſimi Ampliſſimique Viri D. JO. DAVID. WOGAVII, Med. Doct. & Phyſici patriæ noſtræ dexterrimi filius, ſuccincto elogio, Schreckenfuchſium Teutonice ornabit: MICHAEL BAURIUS, beati JO. GEORGII BAURII, Mercatoris, dum viveret, celebris ac integerrimi, filius Doctorem Ludovicum Rabum Latine: JOANNES DAVIDES EHRHARTUS, D. JO. DAV. EHRHARTI, *τε μακαρίτε*, Med. Doct. ac Phyſici noſtræ civitatis quondam primarii Experientiſſimi & Scholæ noſtræ Viſitatoris Graviſſimi filius Martinum Cruſium Græce: denique Jo. SIGISMUNDUS SCHÜZIUS, Magnifici & Generoſiſſimi Domini Conſulis JO. GEORGII LUPINI nepos, Conſultiſſimique Viri D. JO. SIGISMUNDI SCHÜZII, J. U. Lic.

ac

ac Tabularum publicarum Directoris Ampliſſimi filius Doctorem Noam Meurerum Gallice. Hos excipiet, qui primo mihi loco non absque prolixa honoris præfatione nominandus fuiſſet, ipſe Lycei noſtri Inſpector præclariſſime merens, Vir non politiſſimorum minus morum, quam exquiſitæ eruditionis laude florentiſſimus, Dominus JACOBUS MILLERUS, ea, qua pollet, facundia argumentum, quod pro exiguo virium mearum modulo orſus ſum, elegantiſſime Germanico ſermone perſecuturus, & Scholæ noſtræ hiſtoriam ad hunc uſque annum concinne pertexturus. Coronidem imponet egregiæ indolis & optimæ ſpei adoleſcentulus JOANNES SCHÜZIUS, alter modo laudati Domini Tabularum publicarum Directoris filius, qui Patruum colit, quem & nos demiſſe veneramur, Magnificum & Generoſiſſimum Dominum JOANNEM SCHÜZIUM, Conſulem nunc temporis Regentem. Is tam pro Scholæ noſtræ conſervatione providum Numen celebrare, quam Spectatiſſimis omnium ordinum Auditoribus decentes noſtro nomine perſolvere grates oratiuncula Teutonica conabitur. Præterea ſtudebimus, operam

ſuam nobis commodante eximio Viro JOANNE CONRADO ELLMERO, noſtræ civitatis Organœdo artis muſicæ peritiſſimo, ſuavis hymni, a Graviſſimo Domino Inſpectore noſtro concinnati, modulatione fidibusque canoris Auditorum Honoratiſſimorum & aures & animos demulcere, ſimulque

dulcia lætifico diffundere jubila plauſu.

Ut igitur hanc noſtram panegyrin PATRIÆ PATRES OPTIMI, Lycei noſtri Nutritores Indulgentiſſimi, lique, qui graviſſima Reip. negotia conſiliis & opera ſua curant, Venerabilis item Ordo Eccleſiaſticus in urbe agroque, ac reliqui Viri omnium dignitatum Spectatiſſimi, & quicunque Scholæ noſtræ bene cupiunt, gratioſa ac honorifica præſentia ſua condecorare, dictoque die hora octava matutina, ſi placet, in Auditorio noſtro comparere non graventur, eſt, quod ea, qua decet, animi demiſſione ac obſervantia rogamus, tantæ benevolentiæ nunquam futuri immemores. P. P. Memmingæ d. XXIV. Junii A. O. R. MDCCXXX.

IV.

IV.

THOMÆ MEZLERI

Benedictini olim Zwifaltenſis

EPISTOLA DEDICATORIA,

Quam præfixit libris de Imitatione Chriſti abs ſe elegiace 1645. verſis;

Cum Viri cujusdam eruditi in eam animadverſionibus.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, Ampliſſimo Domino, Domino Vdalrico, Imperialis Monaſterii Zwifaltenſis Abbati Vigilantiſſimo,

P. F. THOMAS MEZLERUS

Vitam & felicitatem precatur.

Reverendiſſime Pater, Ampliſſime Domine! Luculenter exſerta veritas à beneficio temporis eſt, pulchra ejusdem proles, ut Maphæi, Cardinalis Barbarini verbis utar: Ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος, inquit ſapiens Menander. Haud raro certe, quod ratio veſtigaſſet nunquam, ævi prolixioris genius explicatum dedit: adeo nihil in opaco eſt, quod in

apricum non proferat ætas. Desperabantur olim Nili fontes, ad quos Lusitanicæ demum classes aquationem fecere; negarunt Antipodas & Periœcos viri summi, cum illis tamen hodieque commercium habent Europæi; ad magicen passim Tinctura Paracelsi rejicitur, at multi profecto temporis usus auri Μεϊάφυσιν orbi detexit. Non disparis aleam fortunæ subierunt gemmei Libelli, quos titulo Imitandi Christi circumferimus: ambigebant illustres provinciæ, Kempensem Belgica, Bernardum Sequani, Gersonem Lutetia & primi Societatis Jesu Patres divini fœtus genitorem fecere, cum eo, ut sedata opinatio nullis acerbitatibus corrumperetur, autumabant solum, visusque e tribus Auctor unus, cum nullus esset; palmam sustulerunt ii Typothetæ, qui hos Tractatus, velut Anonymos, excuderunt, satius rati, si modeste nescirent, quam si temere fallerent, aut fallerentur; quoad nuper, tum tractu benigni temporis, tum eximia DEI in familiam nostram indulgentia, genuinus Auctor in lucem est eluctatus.

Prima notitiæ fundamenta jecit, facemque prætulit exituro, non Cajetanus Abbas Sancti Baronti, sed Julius Nigronus, e socie-

e societate Jesu; is, inquam, ex Aronensi Bibliotheca protulit non Kempensem, aut Lutetianum aliquem, sed Joannem Gersenium Abbatem. Facta hoc indicio fides est Eminentissimo Cardinali Bellarmino, cui Possevinus item, & plures alii subscripsere. Tametsi vero ab hac sententia discesserit, aversus Heriberti Rosweydi non tam vindiciis strenuissimis aut solidissimis, ut eas cum Spitholdio Bolandus laudat, quam frivolis, & nihil evincentibus conjecturis, indubie constaturus fuerat, si cætera nostra cognoscere per usuram productioris vitæ potuisset: e diversis enim chartophylaciis exemplarium hactenus, cognomentum, patriam, Abbatiam, oris lineamenta veri lucubratoris fatentium, is apparatus emersit, qui vel ipsius contumaciæ fauces elidere queat.

Non vidit Cardinalis optimus Codicem Genuensem, Mantuanum, Cavensem, Biheianum; rescire nil potuit de libris Weingartensibus, Melicensi, Ochsenhusano, Wiblingensi; Nihil ipsi de Zwifaltensi constitit: qui, etsi Thomæo apogropho septem annis est recentior, Germanismo tamen eius ætatem longe prægreditur. Quæ omnia, si Patres antilogi, æque ac nos advertissent, crises utique

utique ſuas ingenua litura caſtigaſſent; aliquanto cautius Bolandus innuiſſet, Auguſtæ ad S. Crucis attineri volumen MSS. clare atteſtans, Thomam de Kempis hosce Tractatus anno ſalutis 1440. evigilaſſe (ut ita vel unicum exemplar Lovanienſi antiquius adſtrueretur, quod hactenus a Kempiſtarum nemine præſtitum lego,) cum is liber, ut magnis auctoribus habeo, nec umbram ullius characteris numeralis oſtendat: minore fiducia Rosweydus D. Bonaventuræ ſuas collationes eripuiſſet, quas ordine & ſynergia Rosweydo ſuppar Quaglia eidem ſancto non facile extorquendas ait: paullo timidius pro ſe Trithemium allegaſſet, qui hosce Libellos non tam Kempenſi transſcribit, quam quid alii divinaverint, vacillante oratione percenſet, cauſamque Thomæ, per verbum, fertur, vel ipſo Rosweydo teſte, dubiam potius reddit, quam firmiorem: ſubmiſſiore voce aſſeruiſſet, Thomam ſuis opuſculis, humilitatis ergo, nomen haud præfixiſſe, cum qui latere vult, in calce non minus quam fronte debeat nomen diſſimulare. Quod in Lovanienſi codice Thomas non obſervavit: adeoque, vel Rosweydo judice, Thomas iſtorum Tractatuum Auctor

ctor non est dicendus. Tenuius momentum posuisset in inspirationibus Joannis Buschii, qui, quo largiorem sibi, ut publicis functo officiis, imo cœlitus, ut videri vult, illustrato, poscit assensum, eo fluxiorem impetrat fidem: supersedisset suis Flandriciſmis, cum pari argutia Sueviſmos ex his opusculis multo plures elicere possim: In producendis manuscriptis parcius triumphasset, cum nec unum proferre queat exemplar e tanto numero, quod ante annum Christi 1441. Thomæ fuerit attributum, aut eius putatum.

Potuerat adeo Johannes Gerſen de Canabaco, Abbas Vercellensis, aureæ commentationis laudati quietus possessor, si non proximis annis nescio quis Thrasonicus Jason moronauticam in nos classem eduxisset, rapturus aureum hoc vellus, dicace virulentia, cum ratione prohiberetur. At, bonum factum; patrio in littore cum Volusianis annalibus nanæ celoces irriso naufragio subsederunt. Fluctuant etiamnum disjecta ventis aplustria, tacet, æternumque tacebit, si sapiet, qui lætum Celeusma, necdum portu provectos occinuit:

Mutus,

Mutus, at humectis Ambraciota genis.

Atque hæc ibi de hac controverſia doctiſſimus & elegantiſſimus Mezlerus.

Σημειώσεις
HISTORICO-CRITICÆ
In hanc Epiſtolam.

Scriptæ A. 1728. Menſe Octobri.

Illuſtrantur in hac Epiſtola imprimis verba Mezleri ita aientis: *Primo notitiæ fundamenta jecit, facemque prætulit, exituro (nempe Gerſeni) non Caietanus Abbas ſancti Baronti, ſed Julius Nigronus e Soc. Jeſu; is, inquam, ex Aronenſi Bibliotheca protulit non Kempenſem, non Lutetianum aliquem, ſed Joannem Gerſenium Abbatem.* Hic aſſeritur, Julium Nigronium Jeſuitam omnium primum Gerſeni lucem accendiſſe, producto ex Aronenſi Bibliotheca Cod. MS. de Imit. Chr. qui eius nomen præferebat. Cum autem

tem codex ille Aronensis ante Sæculum XV. non fuerit exaratus, prout noviſſimum Eruditorum Concilium Mediolanense, cui præfatus codex examinandus traditus eſt, primum anno 1726. ut perhibet Anonymi *Epiſtola critica de præcipuis controverſiæ Kempiſianæ punctis* §. II. in Reſponſione ad Argumentum tertium, celebratum cenſuit & judicavit: Atqui conſtat Sæculo XV. ſub nomine Gerſenis communiter intellectum fuiſſe Gerſonem Cancellarium, ipſomet Mabillonio in ſuis *Animadverſionibus* haud inficiante. Ergo dum Nigronus ex Bibliotheca Aronensi protulit Gerſenium, non alium produxit quam Lutetianum. Atque hinc Mezleri argumentum, quod is ex Nigrono deſumſit, cenſuitque Achilleum, valide infringitur. Quod ſi vero Mezlerus dicat: Codicem Aronenſem in titulo præfixum gerere *Joannis Abbatis* nomen, quod nequaquam Gerſoni Pariſienſi congruat. Reſponſio in promptu eſt: minime certum eſſe, hac inſcriptione Joannem Gerſen, Abbatem Benedictinum Vercellenſem S. Stephani de Canabaco dictum deſignari. Ratio eſt, quia conſtat, extitiſſe quidem Joannem quendam Gerſen Abbatem Canonicum Regularem; extitiſſe vero aliquando

Joan-

Joannem Gerſen Abbatem I. Benedictinum S. Stephani de Canabaco, non ſolum nullo proditur indicio, ſed eum nunquam in rerum natura extitiſſe, vix non certum noviſſime detectis documentis comprobatur. Extat in Monaſterio Vercellenſi S. Andreæ Chronica MS. Allicenſis antiqua, ubi dicitur: *Joannem Gherſen fuiſſe Abbatem Ordinis Lateranenſis in Monaſterio Pagi, vulgo Allice, non procul a Cavaglia.* Ita anno 1726. Vercellenſis quispiam vir eruditus ad ſupra laudatum Auctorem Epiſtolæ criticæ perſcripſit, ut ipſe in eadem Epiſtola refert, qui & addit, Eundem Vercellenſem in litteris ad ſe datis, retuliſſe, ſe hoc anno 1726. excuſſiſſe Archivum Civitatis Vercellenſis, ſeque ibidem reperiſſe litteras membranaceas anno 1206. die 16. Decembris ſcriptas, in quibus occaſione cuiusdam contractus inter Abbatem S. Stephani & Prætorem Vrbis initi ſubſcripta ſunt omnium fratrum & Abbatis in monaſterio S. Stephani degentium nomina. Abbas erat Robaldus: inter fratres vero nullus omnino Joannis nomen gerit. Fabula ergo eſt tota Joannis Gerſenis Abbatis Vercellenſis S. Stephani ad initium Sæculi XIII. vita; nec in Codice Aronenſi deſignari

Abbas

Abbas poterit, qui nunquam in Orbe extitit ; & qui hunc Abbatem in Iconismis sub titulo *Venerabilis Joannis Gerſen, &c.* colunt, contra leges Romanorum Pontificum turpi ſuperſtitione idolum colunt. Vide plura adhuc hanc in rem ἀκριβῶς differentem clariſſimum Auctorem Epiſtolæ criticæ, apud Joan. Georg Schelhorn Tomo IIX. *Amœnitatum Litterariarum*, anno 1728. in 8 editarum pag. 404. & ſeq.

Indigent ſecundo Cl. Mezleri verba, ubi de Bellarmino loquitur, aliqua illuſtratione. *Non vidit*, ait, *Cardinalis optimus Codicem Genuenſem, Mantuanum, Cavenſem, &c.*

Mezlerus hic, ut videtur, Codices Genuenſem & Mantuanum, valde magni æſtimat, illisque maximum robur, quo ſua ſententia firmetur, ineſſe iudicat: verum, an codices illi Itali ſine labe puri ſint, necdum probatum eſt: quin imo R. P. Claudius du Molinet, vir ob ſingularem Antiquitatum ſcientiam per Europam celebris, in Epiſtola, quam edidit celeberrimus Richardus Simon in ſua Bibliotheca Critica Tom. I. cap. 2. ſcripta anno 1687. 27. Junii, expreſſis verbis aſſerit, ſe deprehendiſſe, Codices Genuenſem, & Mantuanum, corruptos eſſe. En! ipſius verba:

Les Manuſcrits, inquit, *qui viennent d'Italie, ſont ſi ſuſpects, qu'on ſe doit toujours defier ; pour moi, j'ai vû deux de ceux la à S. Germain de Prez, que j'ai trouvé falſifies, & ſuis prêt de le ſoutenir. Je n'en attribue pas la faute aux P. P. de la Congregation de S. Maur, mais aux Italiens, qui leur avoient envoié ces beaux originaux fabriquez en leur pays ; L'un eſt le Codex Genuenſis, & l'autre le Codex Mantuanus.* Lege-ſis totam du Molinet epiſtolam, & videbis, ex prædictis codicibus corruptis, nullum validum duci argumentum.

Sed nec Mezlero admodum favet Codex, quem citat, *Cavenſis*. Cernitur quidem in littera initiali præfati codicis depictus monachus Niger cum cruce: aſt, quis inde ſolide concluſerit, codicis auctorem eſſe monachum nigrum? alias certe etiam ſequeretur, Radulphum monachum eſſe auctorem expoſitionum MSS. S. Auguſtini in Pſalmos, quia is in libri initio depictus eſt: qui tamen codicem illum duntaxat deſcripſit. Viderunt hunc codicem viri e Congregat. S. Mauri in Galliis clariſſimi D. Edmundus Marthene, & D. Vrſinus Durand, Araſii in Abbatia Waſtenſi, ut ipſi ſuo in Itinerario Litterario Gallice edito perhibent To-

mo

mo II. Interim tamen nolim penitus inficiari, quin sæpe quidem per tales imagines allusum fuerit ad libri auctorem: Sæpius tamen, ac communiter imagines huiusmodi pro librarii phantasia arbitrarias præfixas esse. Confer-sis iterum in critica detritum auctorem *Epistolæ criticæ* mox supra laudatæ loc. cit. pag. 406.

III. Subiungit Mezlerus a Genuensi, Mantuano & Cavensi codicibus, continuo alios, qui causæ Gersenianæ qualecumque emolumentum conferre ipsi visi fuerunt. Sic enim ibi pergit: *Rescire nil potuit* (loquitur de Bellarmino) *de Libris Weingartensibus, Mellicensi, Ochsenhusano, Wiblingensi.* Verum, quia hos codices nec vidi, nec examinavi, iudicium de eis ferre non possum. Deinde maximum dubium mihi oritur, an dicti codices, Nomen Gersenis diserte exprimere videantur? Certe noster codex Lunælacensis de Imit. Chr. ab Henrico Immertheüer, Professo Lunælacensi, anno 1438. exaratus, nullius auctoris nomen præfert. Idem forsitan de supra allegatis dicendum est?

Supereſt adhuc unica Mezleri pericopa illustratione omnino digna; est autem hæc: *Aliquanto cautius*, inquit, *Bolandus innuisset, Augustæ ad Sanctæ Crucis*

attineri volumen MSS. clare atteſtans, Thomam de Kempis hosce Tractatus anno ſalutis 1440. evigilaſſe: ut ita vel unicum exemplar Lovanienſi antiquius adſtruere-tur, quod hactenus a Kempiſtarum nemine præſtitum lego.

Aſt Lovanienſi longe antiquius exemplar in lucem produxit, Kempiſtarum hodie facile princeps C. R. P. auctor Epiſtolæ criticæ, apud laudatum Schelhorn. p. 410. N. 1. Nempe *Codicem MS. Kirchemianum.* De quo David Ehingerus, Vir eruditus, litteris ad Heſerum datis, fide publica interpoſita, ſancte aſſeverat, I. hunc codicem adſcriptum habere annum 1425. II. Eundem ex ipſo Autographo Thomæo tranſumtum eſſe. III. Eundem præ ſe ferre nomen Auctoris, *Thomæ de Kempis Canonici Regularis in Traiecto.* Ita Heſerus in Hecatomp.

Poſtremo velim, præſtantiſſimum noſtrum Mezlerum aliquanto cautius ſcripſiſſe, cum de celeberrimo Bollando, quem vellicat; eo quod innuerit, codicis MS. ad S. Crucem Auguſtæ libros de Imit. Chr. Thomam Kempenſem anno ſalutis 1440. evigilaſſe: tum de ipſomet codice; de quo prodit: *Magnis auctoribus habeo, nec umbram ullius characteris numeralis*

hunc

hunc librum ostendere. Atqui prius veritati consentaneum esse, manifeste adstruit sæpe laudatus emunctæ naris auctor Epistolæ criticæ; posterius vero falsitatis arguit Codicis αὐτόπλης. Recito ipsius verba, quæ habet apud Schelhornium Tomo supra citato §. III. N. II. p. 410. nam aliam eius epistolæ editionem non habeo.

Codex MSS. ad S. Crucem Augustæ, ait, *scriptus anno 1440. in quo ad finem additur eodem charactere:* Compilator huius opusculi fuit quidam Fr. Thomas nomine de Conventu & Ordine Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Montis S. Agnetis Trajectensis. *Ipsemet hunc Codicem inspexi, & sic se habere deprehendi.*

T. Θ. Δ.

V.

Πεντὰς (a)

EPISTOLARUM

De re maxime

LITTERARIA,

Quas

Fr. Renatus Massuet, San-Germanensis Monachus & Presbyter Benedictinus Parisiis, Vir eruditione & pietate longe clarissimus (ἀλλὰ νυνὶ ὁ μακαρίτης)

Ad

Reverendum admodum, Religiosissimum ac Clarissimum Dominum P. Bernardum Pez Benedictinum, & Bibliothecarium Mellicensem exaravit.

I. *Re-*

(a) Hanc epigraphen epistolis, lectu sane dignissimis, præmisit ipse Vir doctissimus & humanissimus, qui eas mecum per manus amici conjunctissimi benevole communicavit.

I.

Reverende admodum Pater ac Religioſiſſime Domine!

Cum nihil æquius eſſe videatur, quam ut fratres ad eiusdem familiæ decus promovendum conſpirantes, mutuo ſeſe auxilio iuvent; is nedum urbanitatis, ſed & humanitatis expers ſit, qui laborum tuorum, ordinis noſtri gloriæ atque utilitati ceſſurorum, conſors eſſe, manum commodando, refugiat. Adiutores igitur, in partem operis vocati, venire non renuemus. Me præ cæteris ad ferendam opem, quamcunque potuerim, paratum inveniet Reverenda Paternitas veſtra. Sed moram, quæſo, aliis curis jam nimium diſtracto tantillam concedat, donec ſolutus, hiſtoriam ordinis noſtri iam cœptam perſequi valeam. Non Te fugit, Reverende admodum Pater, noſtrum Dominum Joannem Mabillonium, toto Orbe eruditionis laude celeberrimum, Annales Ordinis Benedictini latino ſermone conſcribere cœpiſſe. Quatuor jam operis volumina in folio, magno omnium eruditorum applauſu, prodierunt. Quintum, quo rerum hiſtoria uſque ad Sancti Bernardi obitum perduci-

tur, prælo paratum habebat, cum mors nihil miſerans, ſenem ſeptuagenario maiorem è vivis ſuſtulit. Continuandum opus ſibi ſuſceperat diſcipulus eius Domnus Theodoricus Ruinart: Sed & ipſum, jam manum admovere meditantem, mors nondum exſatiata paucis abhinc menſibus abſumſit. Ne verò tam præclarum Opus imperfectum jaceret (quod timebant eruditi quique) mihi cœpta perſequendi provinciam demandarunt Superiores noſtræ Congregationis. Utinam alteri cuipiam peritiori demandaſſent, ingeniique ac eruditionis tenuitatem iure merito excuſantem audire voluiſſent.

Sed demum detrectatum onus ſubire compulſus, collum gemebundus ſubmiſi. Prius tamen quam operi me accingam, abſolvenda mihi eſt nova editio, quam ſuſcepi, Librorum Sancti Irenæi Epiſcopi Lugdunenſis & Martyris, adverſus hæreſes, quæ ſub prælo eſt, æſtate proxima, Deo favente, exitura. His curis ſolutus, totus in Annales incumbam, tumque Mabillonii ſcrinia omnia, commentariosque è variis Monaſteriis vel jam miſſos, vel poſthac mittendos diligentius recenſens, inſpiciensque; ſi quid occurrit, quo Reverendæ Paternitatis veſtræ

veſtræ conſilium juvari poſſe putem, id exſcribi, quantociuſque mitti curabo.

Jam dudum vota tua, adhuc tamen ignota, antevenientes, encyclicas ad Gallicana Monaſteria litteras ſcripſimus, quibus, inter alia plura, de iisdem omnino ea percontamur, quæ Tu ſciſcitaris ex nobis. Easdem brevi iterabo, minusque feſtinantium tarditatem urgens, virorum illuſtrium hiſtoriæ, operum eorum Catalogo &c. acrius adhuc inſiſtam. Hoc enim utrique noſtrûm commune eſt argumentum, ut de Ordinis ſcriptoribus agamus; cum eo tantùm diſcrimine, quod id operis tui primarium ac præcipuum ſit caput, mei verò acceſſio quædam; quæque Tu fuſiori ac enucleatiori ſtylo perſequuturus es, eodem ego breviori complexurus ſum. Tantiſper igitur exſpectare ſi velis, donec à cæteris negotiis vacuus operi manum admoveam; quidquid ſub manum venerit, quod in rem tuam faciat, id ex animo communicabo. Nam alioqui turbulentis hiſce temporibus quidpiam ad vos tutò transmittere difficillimum eſſet. Interim, Reverende admodum Pater, Tibi omnino comparanda ſunt, nec ſegni manu evolvenda priora quatuor Annalium

Ordinis noſtri volumina à Mabillonio in lucem emiſſa. Neque Te laboris pœnitebit: plura enim in iis de ſcriptoribus noſtris dicta reperies, quæ ad rem tuam faciant quam maxime. Idem fere dixerim de Actis Sanctorum Ordinis noſtri, ab eodem Mabillonio collectis, 9. vol. in fol. quorum ſingulis præmiſſæ ſunt Præfationes omni eruditionis genere refertæ: idem etiam de veteribus Analectis, 4. vol. in 8. & de veterum ſcriptorum Spicilegio, XIII. vol. in 4. quos quidem libros commemoro, quia licet jam dudum tum à Mabillonio, tum ab aliis è noſtris vulgati ſint, jamque in his ipſis regionibus rariſſimi; in veſtras remotiores nondum fortè penetrare potuerint. Si Gallice noſſet Reverenda Paternitas veſtra, conſulerem etiam ſibi emeret Gallice ſcriptum Librum, cui Titulus eſt, Bibliotheca Auctorum Eccleſiaſticorum, ab Elia Du Pin, Doctore Theologo Pariſienſi collecta, & in plures Tomos in 8. diſtributa: in qua Auctorum omnium Eccleſiaſticorum, librorumque ab iis conſcriptorum hiſtoria, Catalogus & argumentum à primis Eccleſiæ temporibus ad noſtra uſque pertexitur, auctoresque etiamnum viventes recenſentur. Hic nequic-

quicquam mentio em injicerem Guillelmi Cave Angli Hiſtoriæ Litterariæ Scriptorum Eccleſiaſticorum à Chriſto nato ad annum uſque 1517. duobus Tomis in fol. Cum enim Genevæ excuſa ſit an. 1693. haud dubium, quin ad vos uſque pervenerit. Bibliothecæ Cluniacenſis, Ciſtercienſis, Floriacenſis, variæque Auberti Miræi lucubrationes, Libri notiſſimi ſunt. Hæc interim ad Reverendam Paternitatem veſtram reſcribo, donec alia, quæ exſpectationi ejus paulo magis reſpondeant, ſcribere poſſim. Sed ſi quid, pro votis, deinceps vobiscum communicare valeam, ſperare viciſſim ea à vobis, pro humanitate veſtra, ſubſidia non denegatum iri, quæ ad illuſtrandam tum Mellicenſis, tum vicinorum Monaſteriorum hiſtoriam conferre poſſe intellexeritis: qualia ſunt, fundationis Monaſteriorum origo & hiſtoria, Privilegia & immunitates; Fundatorum ac præcipuorum benefactorum nomina, dotes, & chartæ donationum; Abbatum ſeries, viri illuſtres, ac tum horum, tum illorum præcipua quæque Geſta, Scripta, dies obitus, &c. Quid memoria dignius in Monaſteriis acciderit; Antiqua, ſi quæ ſint, ſummorum Pontificum, Imperatorum, Regum,

gum, aut aliarum nobilium perſonarum Diplomata; Vetera monumenta, ſepulcra, Epitaphia, Inſcriptiones, & alia id genus, quæ Annalibus inſeri pro jure ſuo debeant. Cuiusdam quidem inveſtigationis curam nollem ſibi ipſi ſumeret Reverenda Paternitas veſtra; abſit enim, ut à melioribus ſtudiis eam interpellem: Sed forte benevolos quospiam è ſuis reperiet, qui hanc à me, immo à toto Ordine Benedictino, gratiam inire non dedignabuntur. Vtere tu, Reverende admodum Pater, meam operam ut voles: Totum me Tibi, mandatisque Tuis addico. Hanc epiſtolam ad R. P. Mauritium Müllerum, S. Galli Bibliothecæ præfectum, mitto, ut Tibi perferendam curet. Neque enim alia ſcribendi ſuppetit via, donec tam diu optatam pacem Deus terris reddiderit. Vale, Reverende admodum & erudite Pater, ac Religioſiſſime Domine, cujus conſilia fortunet Deus, precor.

Reverendæ admodum Paternitatis, ac Religioſiſſimæ dominationis veſtræ

Devotiſſimus & obſequentiſſimus in Chriſto Servus ac Frater

FR. RENATUS MASSUET M. B.

Pariſiis, in Monaſterio S. Germani à pratis die 7. Martii 1710.

II. *Ad*

II.

Admodum Reverendo, Religioſiſſimo, ac Clariſſimo Domino & Patri Bernardo Pez, Fr. Renatus Maſſuet, Amicus amico dilectiſſimo, multiplicique nomine Colendo

S. P. D.

Accepi tandem, non jam faſciculum, ſed iuſtæ magnitudinis ſarcinam librorum & chartarum, diutius exſpectatam, ardentius concupitam, quam ad me pro ſingulari tua humanitate mittere dignatus es. Si tardius quam ſperaveramus, huc advecta fuerit, (à triduo enim duntaxat accepi) in cauſa fuit longior abſentia R. P. Mauritii Müller, ad quem directa erat. Vbi vero rediit, auctam duplici exemplari hiſtoriæ Wiblingenſis miſit. Cætera omnia, quæ in ſarcina occurrerunt, apprime quadrant ad Indicem, quem ſubjunxiſti, unis exceptis Rebus Lambacenſibus, quæ prorſus deſunt. Forte ſubtrahendo vitas Adalberonis, Altmanni, & Gebehardi, quas jam penes me eſſe noveras, ſubtraxiſti etiam incogitans hiſtoriam MS. Ut ut eſt, plurimas quidem Tibi gratias agere poſſum, Betnarde mi cariſſi-

cariſſime; at nullas pro meritis in me tuis, quidquid agam, referre valebo. Id unum ſpondere poſſum, eorum memoriam numquam apud me morituram, quam ſi meis qualibuscumque officiis te ſtificari queam, faciam certe pro virili mea parte. Paulo ante Paſcha miſi Tibi per Sanctum Gallum unum exemplar Irenæi mei, cum Mabillonii animadverſionibus in vindicias Kempenſes, quas expetierat R. P. Anſelmus Schramb. Sarcinam commendavi R. P. Mauritio Müller, qui miſſam & à vobis acceptam non ita pridem nuntiavit. At donec ipſi nuntietis, nonnihil ſollicitus ero. Longiorem ſimul epiſtolam ſcripſi, Tibique directe miſi. Eidem inſerui Catalogum librorum Tibi neceſſariorum & a Te evolvendorum: ut à te diſcens, qui penes te ſint, tutius & minori labore exſcribere tibi poſſim, quæ in ſcriniis Mabillonianis ad inſtitutum tuum conducentia occurrent. Satis enim erit, ſi libros habeas, loca tibi indicare; reſponſum exſpecto. Quintum Annalium noſtrorum Tomum ſub prælo eſſe, jam, nî fallor, nuntiavi. Lentiori gradu procedit impreſſio, Typographis noſtris ex vini copia, quam Deus indulſit hoc anno, ad potandum quam ad laborandum prom-

promptioribus factis. Interim Mabillonii vitam latine ſcribo, operi præmittendam; ſed fere litterariam, qualem nimirum exoptant eruditi, omiſſis videlicet aut preſſiori ſtilo narratis pluribus, quæ fuſius in Gallica vita ediſſeruit Ruinartus noſter. Vbi è prælo exierit opus, confeſtim tibi mittetur; in foliis, an more noſtro compactum? quid magis placuerit, nuntiabis. Id ex te ſciſcitor, veritus, ne quintus Tomus quatuor prioribus, qui jam penes vos ſunt, compingendi modo nimium abſimilis ſit. Eadem occaſione remittam Lambertinæ Abbatiæ hiſtoriam, quam tam benigne mihi commodari curaſti: ſed meliori ac cultiori veſte prius indui curabo, ut aliquid ſaltem è Gallico itinere ſecum reportet. In quinto Annalium Tomo plurima reperies, quæ nec injucunda, nec inutilia, pro ſcopo tuo, erunt. Quæcunque etiam tunc tibi exſcribi potuerint, tum à me, tum à ſocio meo, quem in laboris partem vocabo, tibi ſimul mittentur. Dudum miſſa fuiſſent, niſi Irenæi editionem citius, quam ſperabam, excepiſſet quinti Annalium Tomi impreſſio. Ne proinde incuriæ adſcribas velim, quod improbi ac pene continui hactenus laboris, qui me alio avocavit,

cavit, effectus eſt. Quamquam vix tibi, ut par eſt, vacare poſſum, donec priori Epiſtolæ reſponderis. Abſoluta Mabillonii vita, quod brevi fiet, totum me tibi mancipabo. Vide Tu, amice cariſſime, ſi quid aliud ſit, quod tibi gratificari poſſim. Vbi novero, perſuaſum habeas, nullum non lapidem à me motum iri, ut tibi ſatis fiat. Dudum ſcripſi ad Reverendiſſimum & Optimum Abbatem Herbipolenſem Sancti Stephani, qui & ipſe reſcribere dignatus eſt. Iterum brevi ſcribam, repetitas pro miſſa hiſtoria gratias acturus, ſimulque reſponſurus ad aliqua, quæ à me quæſiit. Certe vir bonus eſt, bonorumque omnium veneratione, obſequio & amore dignus. Plurimam ſalutem, quam reverenter poſſum, per te dico, Reverendiſſimo & Ampliſſimo Abbati Mellicenſi, eique quam maximas ago gratias pro *Germania Auſtriaca*, *Aquila Polono-Benedictina*, *& hiſtoria Cellenſi*, quibus, ipſo permittente, me donatis. Multum etiam ſalvere jubeo R. P. Jacobum Mayr, cujus beneficiis *Germaniam Auſtriacam* acceptam gratiſſimus refero. Nec obliviſcaris, quæſo, R. P. Clementis Schramb, Anſelmi noſtri germani, cui multam ſalutem pariter impertior

tior. Quid jam tibi, Bernarde mi cariſſime? Nihil prorſus quod votis reſpondeat, amoremque in te meum, gratum animum, ac reverentiam ſatis exprimere poſſit. Vale, meque, ut facis, amare perge. Dabam in Monaſterio S. Germani a pratis Pariſienſi Kal. Decembr. MDCCXI.

III.

Admodum Reverendo, Religioſiſſimo ac Clariſſimo Domino & Patri Bernardo Pez, amico dulciſſimo, Fr. Renatus Maſſuet San-Germanenſis monachus.

S. P. D.

Quod nuper Tibi ſcripſerim, quam maximas poſſem gratias acturus pro accepta librorum & MSS. a Te miſſorum ſarcina, cito pœnituit; non quod gratias egerim: ecquas enim tantæ humanitati pares agere umquam poſſem? ſed quod nulla poſtremæ epiſtolæ Tuæ, quam nondum acceperam, mentione facta, Tibi forte curas addiderim. Quas ergo imprudens injicere potui, jam tandem abigi iubeo, monens, octo circiter poſt acceptam ſarci-

nam diebus, redditam mihi fuiſſe & Epiſtolam, datam licet V. Kal. Novemb. Quid vero de ipſa tandem? Totum dixerim, ſi totam Bernardum meum, pectoris mei delicias, fidiſſimum illum amicum, dulciſſimum ac certiſſimum ſpirare dixerim. Ut tamen fatear, quod res eſt, candidiusque loquar, ex quatuor omnino paginis, quibus conſtat, una eſt quam ſpongia deleri velim, ea videlicet, in qua mutato ſtylo te totum in *Irenæi* mei laudes effundis. Hem! Bernarde mi, quam diſertus orator! Te quidem hactenus hiſtoricum, ad conſcribendam hiſtoriam egregie à natura comparatum, Virum Græce & Latine doctum, in bonorum auctorum lectione ſubactum, nitore ſermonis nulli ſecundum noveram: at Rhetorem nondum. Id forſitan laudi tuæ deeſſe apud me putabas: ſed defuiſſet; nihil de ea, qua apud me vales, exiſtimatione deceſſiſſet. Scis, amice, quid de Rhetorica ſentiam? Artem bene eſſe dicendi, jam puer in ſcholis didici. Sed, meo quidem iudicio, nemo bene dicit, niſi qui vere. Ad eam regulam expende laudes tuas, & vide cui conveniant. Non certe mihi, ad quem nullum fere orationis tuæ bene longæ membrum quadrat. Sane præſtitiſſet, obducta fronte,

te, virga cenſoria notaſſes quæcumque mihi vel incauto vel imperito excidere potuerunt. Haud anguſtus Tibi dicendi campus fuiſſet. Ut ut eſt, cum Tibi fucum fecerit amicitia, qua me colis; id unum ex oratione tua colligere licebit, opus meum qualecumque Tibi non diſplicuiſſe, nec ingratum fuiſſe munus meum. In hoc gaudeo. Si quid amplius ſit, DEO Patri luminum ſint laudes, à quo deſcendit omne datum optimum. Sed de his ſatis, jam ad res noſtras.

Id ſemper ſuſpicatus ſum, Te in extremis orbis eruditi partibus commorantem, longe maiorem in Opere tuo condendo difficultatem experturum ex librorum penuria, quam ex re ipſa. Vix ullum Tibi, ob locorum diſtantiam, cum Anglia commercium eſſe poteſt; Et ſi bene ex epiſtola tua conjiciam, Anglorum auctorum inopia laboras. Atqui tamen præcipue Rerum Anglicarum Scriptores Benedictini fuerunt, quorum opera diverſis temporibus & voluminibus collecta & edita, Tibi ſaltem delibanda eſſent, ut iudicium de iis ferre tutius poſſes. Idem fere de Normannicis rebus dixerim, quamdiu ſaltem regibus Anglorum, à Willelmo conquæſtore paruit Norman-

nia noſtra : quarum Scriptores in unum volumen congeſſit Andreas du Cheſne. Sed eæ omnes collectiones, licet in Bibliothecis Pariſienſibus frequentes, cum tamen jam vel omnino ſenuerint, vel in ſenium declinare incipiant, difficile venales occurrunt, fruſtraque vel in Belgio, vel in Anglia ipſa requirerentur. Pitſeum tamen, Waræum, & Maihew quoquo pretio Tibi reperire conabor : jamque Bibliopolarum officinas, easque varia, nec ſpernenda librorum omnigenorum ſuppellectile refertas luſtravi ; Sed fruſtra. Iterum plus ſemel adibo, ſcrutabor, verſabo, nullosque Libros non movebo, ut Te tandem voti tui compotem faciam. Ecquid non tentarem, ut amico tam benefico & officioſo gratificarer?

De Bibliotheca auctorum eccleſiaſticorum Labbei, & Apparatu Poſſevini recte cenſes. Melior Eliæ du Pin Bibliotheca ; ſed nec ipſa accurata, & ſatis limata ; & Natalis Alexandri hiſtoria, farrago potius quam hiſtoria dicenda eſt. At certe flores prodigis, cum plenis manibus effundis in Placcium, Struvium, Gothofredum Olearium, & ſi quos alios recentiores Bibliographos ſeptentrionales. Unum excipio Fabricium, haud con-

contemnendum auctorem; ſed qui nihil ad rem tuam faciat. Alii offenſatores ſunt, offendiculum incautis præbere nati, duces infidi, a quibus proinde caveas. Eos tamen omnes auctores percurras neceſſe eſt, ſed cauto ſemper pede: hæcque Tibi præ oculis Regula ſemper eſſe debet, ut quotiescumque ſoli quidpiam proferunt, toties, ſi non falſum, ſaltem valde dubium Tibi videri debeat, nec proinde à Te umquam in eorum fide aſſeri. Multo minus eos auctores, nullius certe in republica litteraria auctoritatis, aſſertionis Tuæ vades citare umquam debes, acriori quippe iudicio polles, quam ut perverſum Septentrionalium tuorum morem imiteris, qui multum ſe feciſſe putant, cum librorum ſuorum margines oppleverint infinitis auctorum nullius nominis citationibus: quæ quisquis naſutior legit, miratur quidem vaſtiſſimam ſcriptoris lectionem, ſed temporis jacturam dolet, iudiciumque deſiderat. Sed vix ab ira tempero, cum Bailium a Te laudibus efferri audio. Virum noſti, amice? Homo fuit nullius religionis, nullius fidei, nullius iudicii, qui obvia quæque, vera an falſa, prout ſub manum veniunt, temere arripit, permiſcet, confundit, fu-

cumque Lectoribus incredibili dicendi audacia, etiam ubi turpius fallit aut fallitur, facit; qui denique vānos rumores, aniles fabulas, ac miſellorum auctorum teſtimonia plerumque captat ſequiturque. Paulo quidem accuratior ſecunda Dictionarii eius editio, quam prima, quam probus nemo ſine rubore legiſſet: Sed illa mendis adhuc & erroribus ſcatens. Sic igitur legas, ut quam maxime diffidas, nec quidquam eius auctoritate nixus umquam aſſeras.

Æqui bonique conſules, puto, ſi liberius ac candidius Tecum loquar, ſententiamque meam, immo & eruditorum omnium, Tibi pandam. Quamvis enim in omnibus Tibi facile concedam, Teque magiſtrum lubens audirem: in eorum tamen librorum, qui Tibi minus noti ſunt, lectione paulo magis verſatus, amicum monere debeo, quo loco auctores numerare debeat, ne duces parum tutos ſecutus, cum iis offendat, maleque apud eruditos audiat. Quod ergo Bibliographos, quoscunque potes, Tibi comparas, bene facis: audiendi ſiquidem omnes, ſed paucis adhibenda fides; iis nimirum ſolis, in quibus mens in bonorum auctorum lectione ſubacta, acre iudicium, diligens

&

& accurata rerum inquiſitio, aliæque eiusmodi dotes eluceant. Hæc Te facile docebit uſus, facilius doceret aſſiduum cum viris eruditis & exquiſiti judicii colloquium. Sed vereor ut pluribus abundet ea Germaniæ pars, in qua degis, quippe quæ nec litteras nec libros admodum colat.

O utinam, Bernarde mi, Tibi liceret per annos aliquot hic mecum Pariſiis verſari, ubi Muſæ in honore ſunt, frequentes eruditi, Bibliothecæ libris omnigenis inſtructæ, aptiſſima denique omnia ad iudicium informandum. Si quid certe apud Reverendiſſimum Abbatem tuum valerem, id ab eo precibus extorquerem, ut Te huc per biennium ſaltem nobiscum victurum in hoc San-Germanenſi Cœnobio mitteret: nec ipſum, nec Te itineris & expenſarum pœniteret. Quidni à vobis fieri poſſet, quod à tot aliis Abbatibus Germanis, Belgis, & Italis factitatum non raro vidimus. Ii nempe iuniores optimæ ſpei monachos ad nos miſerunt, Gallicis moribus, lingua, litteris & ſtudiis informandos. Etiam nunc duos e noſtris Italos habemus in hoc monaſterio hoſpites, alterum a decennio, Raguſinum è Congregatione Benedictina Meletenſi; al-

terum Venetum e Congregatione Sanctæ Juſtinæ, a ſex circiter menſibus. Prior in patriam mox reverſurus, egregia hic ingenii ſui monumenta relinquit, duo ſcilicet nova Volumina in folio, *de antiquitatibus Conſtantinopolitanis*, quæ e prælo exeunt. Hi Pariſinæ commorationis fructus. Nec minores de poſteriori ſperamus. Fatetur uterque, fatentur & exteri omnes, quotquot ex omni orbe huc confluunt, nullam urbem litteris opportuniorem eſſe, atque Lutetiam Pariſiorum. Veni & experire quid rei ſit. Interim jam paulo liberior, quam hactenus fuerim, rebus tuis deinceps naviter vacabo, eaque omnia, quæ tum in Mabillonii ſcriniis, tum alibi ad ſcopum tuum conducentia occurrent, ſedulo colligam, mittamque, tardius ſaltem cum quinto Annalium Tomo: Si prius parata ſint, mittam cum aliis libris, quos a me exſpectas, ſi tandem comparare poſſim. Iterum dicam, quod jam dixi: *Patientiam habe in me, & omnia reddam Tibi.* Quod Abbatem Sanctæ Crucis in Polonia in mei gratiam convenire dignatus ſis, gratias ago. Scripſi ad Procuratorem noſtrum generalem in Curia Romana, ut eum adeat, eiusque commentaria commodato accipiat, ex iis excerptu-

cerpturus quæ, utilia mihi fore noverit.

Plurimam ſalutem, quæſo, meo nomine dicas chariſſimo Socio tuo R. P. Hieronymo Pez, quem ambabus ulnis complector. Multum etiam te ſalvere jubet Tibi devotiſſimus Socius meus Petrus Sabbatier. Vale, amicorum optime, hæcque Bocchi apud Saluſtium verba Tibi dicta puta: *Fuerit mihi pretium eguiſſe aliquando tuæ amicitiæ, qua apud animum meum nihil carius habeo; id adeo experiri licet; quidquid animo lubet, ſume, utere: & quoad vives, nunquam Tibi redditam gratiam putaveris, ſemper apud me integra erit: denique nihil me ſciente fruſtra voles.*

Pariſiis XIII. Kal. Februar. M. DCCXII.

IV.

Admodum Reverendo Patri ac Domino Bernardo Pez, amico ſingulari, Fr. Renatus Maſſuet

S. P. D.

Ecce litteras tuas accepi, ut ſinapi poſt prandium; Sic fert tritum apud noſtrates proverbium. Jam enim & ſarcinam biduo ante Argentinam miſeram, &

litteras ſcripſeram, non ad te, quem viventem neſciebam, aut tota Germania vagantem ſuſpicabar, ſed ad germanum fratrem R. P. Hieronymum. Siccine tempeſtivas numquam dabis, meque immeritum indiligentiæ tuæ pœnas luere coges? ut tamen longiſſimas a me litteras exſpectas; immo quam breviſſimas habebis, ut te vel hæc pœna, levior utique pro culpa, diligentiorem deinceps faciat: feci tamen quod voluiſti, (& quid tibi vel ab irato negari poſſet?) Scripſi ſtatim ad D. Bartenſtenium patrem, ut ſarcinam tuam Vlmam primum mittat, pro votis tuis. Quid ea complectatur, ex epiſtola R. P. Hieronymi diſces. Prævolui, quod ipſe voluiſti, immo quod voluit Dominus Gentilotus: ad eum quippe miſi Bibliothecam Coislinianam Montefalconis noſtri, cum novis Petri noſtri. Conſtant vindiciis codicum MSS. adverſus novas Germonii Jeſuitæ ineptias. Curabis profecto, ut tum ſarcina eidem Cl. Viro inſcripta, tum epiſtola mea tute perferantur. Haud ſcio, an ita placitura ſint, quæ tibi mitto. Admodum placent, quæ tu miſiſti, & gratias ago quam maximas poſſum.

Sed vehementer diſplicet, quod dicis, te præ verecundia & pudore auſum non fuiſſe

fuiſſe a me petere quintum Annalium Tomum. Sic tu mecum agis, amicus cum amico? Me beneficiis cumulas ac muneribus, totique Germaniæ mei cauſa ſtimulos addis: & tamen librum a me petere pudor eſt? At tu non petebas; Sed rogabam ipſe, an haberes, incertus an tempore belli tibi comparaſſes nec ne: Si enim mittendi facultas fuiſſet; ut voluiſſem, non rogaſſem, ſed ilico miſiſſem. Pone, quæſo, timidum nimium ac præpoſterum pudorem, & ſi me amicum habere vis, eadem libertate mecum utere, qua tecum utor. Pete, ſic volo, ſic iubeo, quodcumque penes me eſſe noveris, certus te confeſtim habiturum. Sed vereor ne paullo inconſultius quintum hunc Tomum miſerim, non ſatis inſpectis foliis, ne quid forte deficiat. Præter cæteras icones æri inciſas & propriis locis affixas, duæ aliæ ineſſe debent exemtiles: altera Mabillonii, nova & initio præfigenda; altera eccleſiæ Cluniacenſis circa medium; quæ utrum inſint, haud ſatis memini: ineſſe tamen puto. Si forte deeſſent, quam cito moneas; interimque librum ad uſum tuum conſui, non certe compingi iubeas, donec per curſorem aliquem regium miſerim quod defuerit. Sed doleo, quod plures Mabil-

lonii

lonii icones, nec diſſimiliter, nec inelegánter effictas, tibi, amicisque tuis ac meis non miſerim. Excidit penitus è memoria, ſed alia occaſione fiet. Quos libros memoras, mihi comparabo vel per Bibliopolas noſtros, vel per D. Bartenſtenium. Si quos tu ex iis, quos nuper miſiſti, emeris, dic, quæſo, ut ſumptus refundam. Opera quippe tua libenter utar, at non pecunia. Haud dubium, quin plura tibi cum in Archivis, tum in Bibliothecis occurrant mihi apprime neceſſaria: quibus tamen carere malim, quam a te tuisque tanto cum labore & temporis jactura exſcribi. Sed ſi mercenarium quempiam exterum conducere poſſes, qui quæcumque deſcribere tibi operæ pretium eſſe videretur, noſtris ſumptibus exſcriberet; quamcumque pecuniam ſolviſſes, omnem ad obolum uſque, ut par eſt, tibi vel per Baſileenſes, vel per Argentoratenſes rependerem, nec ſine multiplici gratiarum fœnore. Vide, mi Bernarde, quid fieri poſſit deceatve: rem totam tibi prudentiæque tuæ & committo & permitto. Is ſum, qui malim omnibus carere, quam cuiquam mortalium oneri eſſe, multo minus amicis. Satis ſcio, nihil me boni e Germania habere poſſe, niſi

per

per te: id tamen nolim cum tuo, vel leviſſimo quovis, incommodo. Cogitavi ipſe plus ſemel Germaniam adire, ut quondam fecerat Mabillonius, nec repugnarent Superiores noſtri: at deterrent innatæ Germanis in Gallos ſuſpiciones. Vni Germano patere poſſunt monaſteriorum Archiva, Gallo cuivis impervia. Vellet tamen, ô quam vellet! amicus quispiam tuus in aliquo Germaniæ angulo iis præſertim temporibus deliteſcere, ubi procul turbis Vni Deo & ſtudiis vacare liceret. Quod hortanti te Epiſcopo morem gerere renuiſti, prudenter omnino feciſti. Sed alii ſunt, qui ad incitas redacti, ſcriptorumque grandine obruti, non hortantur modo, ſed cogunt, & quisquis renuit, non ſine libertatis periculo facit. Calamum inſontem ac purum ſervare ſibi amicus ille conſtituit, nec fœdabit umquam. An impune? Deus ſcit. Quid ſi eum aliquando genibus tuis provolutum videres, fruſtulum panis emendicantem, vel potius locum ſeceſſui aptum rogantem? operam laboranti non denegares. At Auſtriam nollet ille, quia maior illic quorundam auctoritas. Vrbem liberam, puta Auguſtam Vindelicorum, vel tutum quempiam locum mallet, in quo nulli gravis,

gravis, omnibus commodus viveret. Fuga ſibi quandoque conſulere, docente Chriſto, licet, ubi ſalutis æternæ diſcrimen imminet, modo ne fuga vitæ licentioris occaſio ſit, quod abſit. Si quid infauſti evenerit, quod Deus avertat! Tu de amico illo tuo cogita, & vide, prudentiſſime tamen, quid fieri poſſit? Sed cave nomen umquam prodas, quod æternis tenebris mancipari vult; tibique ſoli ſcripta ſint iſta, nec a quoquam alio legantur. Nulla tamen te conficiat ægritudo. Dei nutu reguntur omnia, nec tentari nos umquam ſinet ſupra id quod poſſumus. Noſtrum eſt avitam fidem etiam cum vitæ diſcrimine ſervare, cætera ad omnipotentis arbitrium permittere. Si prius aliquo in loco non liceat, quærendus alter, ubi id liceat, nec de incommodis ſatagendum, ut ſaluti conſulatur. Quid refert hic vel illic ſimus, modo Dei ſimus, cuius eſt terra & plenitudo eius. Satis intelligis, quo loco res ſint: plura alia ne referam vetat prudentia, præcluditque verba dolor. Tu cum de iis reſcripſeris, obſcurius facias. Vale, amiciſſime mi Bernarde, Deum nobis iratum aſſiduis tuis tuorumque precibus placare ſtudeas. Plurimam ſalutem verbis meis dicas dignißi-

gniſſimo germano tuo R. P. Hieronymo, cuius percupidus ſum. E Cœnobio Pariſienſi S. Germani a pratis Non. Jul. MDCCXV.

V.

Reverendo admodum, Religioſiſſimo ac Clariſſimo Domino Patri Bernardo Pez, amico dulciſſimo, Fr. R. M. quidquid amicus amico.

Reverſus ex itinere, quod in Normanniæ partes ſuſcepi, litteras tuas ſuaviſſimas reperi; & quidem eo ſuaviores, quo utiliores. Nec enim officioſa verba duntaxat, ſed & res continent, quibus gratiſſimus utar. Sed quid de adjuncta ſchedula? Pauciſſimis quidem verbis, ſed iis efficaciſſimis tuum in me amorem prodit, cui quidem ego amori utinam cæteris rebus poſſem! amore certe reſpondebo. O Bernarde mi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione! Tanta hæc erat, cum nuperas ad te litteras ſcribebam, ut pæne ſuccumberem. Foris pugnæ, intus timores, undique tonitrua & fulgura & voces: procera quæque capita

pita fulmen attingebat, conterebatque. Meum quidem & vile & humile, at multas ob cauſas fulmini obnoxium, quia & læſæ *Societatis* reus dicor, & Evangelicæ veritatis ſtudioſus exiſtimor. Ad hæc Eminentiſſimo Archiepiſcopo noſtro fidem ſervari, nuperæque Conſtitutioni Pontificiæ, quæ Chriſtianam fidem ab imis fundamentis ſuccuſſit, adverſatus, ei propugnandæ calamum meum conſecrare nolui: immo non detrectavi modo, ſed & ad ipſa verba exhorrui. Hoc meum crimen, quod & proborum quorumque fuit, quos idcirco Molinianorum furor vel in teterrimos carceres detruſit, vel ſolum vertere coëgit. Plura quidem de rebus noſtris audiſtis, ſed nunquam tanta, quanta revera erant. Fumum eminus conſpiciebatis, nos ignem late graſſantem, ac tecta noſtra miſere depaſcentem, ſibi quisque timens ſarcinas colligebat: colligebam & ipſe, paratus primo ſigno dato in ſinum tuum convolare, extrema quæque perpeti malens, quam avitam fidem prodere. Sed tandem qui mari terminos figit, ſævienti heu! nimium procellæ dixit, *huc uſque*. Et certe in tempore opportuno. Ad extrema quippe ventum erat, nec quidquam deinceps

deinceps niſi teterrimum ac funeſtiſſimum exſpectandum erat. Vix credent poſteri. At ex quo regni habenas, vix quinquenni rege, ſibi ſumſit Sereniſſimus Dux Aurelianenſis, ſapientiſſimus moderator, in camo & freno perſecutorum maxillas conſtrinxit, carceres aperuit, exſules revocavit; adeo ut liberiori jam cœlo uti, & aliquantulum reſpirare liceat. Qui prius exultabant in rebus peſſimis, jam dolent, non de patratis malis, ſed de iis, quas patrare non licuit. Ignoſcat illis Deus, Eccleſiamque noſtram tot tantisque procellis dudum jactatam ac pæne quaſſatam componat. Magna quidem ſpes; Sorbona diutius oppreſſa caput effert: Supereſt ut Bulla pontificia, per vim obtruſa, procul finibus noſtris pellatur. Admittant, ſi lubet, *Infallibiliſtæ* veſtri: nos, qui infallibilitatem non ex vanis præiudiciis, ſed ex rei veritate expendimus, infallibilem negabimus eum, quem tam turpiter falſum fuiſſe, certis ac invictis argumentis demonſtrare poſſumus. Sed de his ſatis. Nondum eatenus tanta, tamque libere, quia tutum non erat. Nunc & ſcribere & loqui tutius: tutiſſimum certe, immo æquiſſimum, immortales tibi gratias agere pro tua in me ca-

ritate. Vtinam tandem aliquando referre liceat! At quamdiu vixero, aſylum mihi tam amice oblatum numquam obliviſcar.

Doleo, quod Mabillonii effigies quinto Annalium Tomo tibi miſſo deſit. Jactura reſarcietur. Hæreditarius Princeps Wirtenbergicus Pariſiis nunc degit: Juventutis eius moderator Chriſtophorus Pfaffius, mihi dudum notus, in comitatu eius eſt. Huic credidi faſciculum ſex icones tibi amicisque tuis deſtinatas continentem, & ſeptimam tenuioris chartæ, initio Tomi, obverſa ad titulum facie, præmittendam. Promiſit, ſe brevi miſſurum, vel Vlma, vel Vienna, prout occaſio, quæ non deerit, ſe offeret. Tantiſper igitur ſuſtine: levior quippe faſciculus eſt, quàm ut vectoribus publicis mitti poſſit. Regiis quidem curſoribus uti ſi licuiſſet, brevius & expeditius fuiſſet: Sed Rege noſtro mortuo, totaque aulæ facie immutata, qui jam curſores ſint, non novi. Opus R. P. Hieronymi, germani tui, de Rerum Auſtriacarum Scriptoribus, avidus exſpecto. Hortare, urge, ſtimulos adde, ut cito prodeat. Quantum enim utilitatis ex eo percipere poſſim,

ſim, probe noſti. Tu interim quod moliris, amice mi? Vereor, ne ſuſceptum à te Opus de Scriptoribus noſtri ordinis refrigeſcat. Nollem tamen: id quippe vehementer cupiunt multi; & niſi tu adgreſſus fuiſſes, adgreſſi fuiſſent alii, quos dehortatus ſum. Superior noſter Generalis, vir quidem bonus & litterarum fautor, ſed operum haud ſatis rectus æſtimator, quoscunque poteſt, hortatur ad id ingrediendum; Et quidquid dixerim, altius animo defixum amovere non potui. Nuper adoleſcentes tuos ad S. Dionyſium accerſivit, ut in id incumbant, & intra biennium conficiant. Papæ! tantum opus intra biennium? At emunctæ naris iuvenes ſic deterrui, ut ſegnes manus, ne palam repugnare videantur, operi adferentes, ad alia utiliora animum intendant. Nihil proinde eſt, quod ab iis timeas. Si enim impoſitis ſibi mandatis parere cogerentur, infeliciter omnino iis cederet. Vt tamen vel eorum, vel aliorum quorumvis prurientes digitos coërceas, auctor tibi ſum, ut operis tui Prodromum quamprimum conficias, & in publicam lucem emittas, quo conſilium tuum exponas, horteris eruditos omnes, cum domeſticos, tum exteros, ut tibi opem

ferant, opus jam pæne maturum denunties, ac intra pauciſſimos annos, puta biennium, prælo committendum, &c. Id fac, ſi me audis, & quam cito. Cave, Prodromus Epiſtolæ limites excedat, ut facile ad exteras gentes per curſores publicos mitti poſſit. Exemplaria quædam ad me mittes, quibus noſtrorum & aliorum, quoscumque novero, præproperos impetus coërceam. Volo quippe, ut Operis iſtius gloria tibi uni ſervetur.

Pæne obliviſcebar, quod tibi ingratum non fore certo ſcio, Eminentiſſimum Cardinalem de Noalliis, Archiepiſcopum noſtrum, virum utique veneratione digniſſimum, quem Jeſuitarum furore pæne abjectum vidimus & e ſede ſua pulſum, tanta apud D. Regni Adminiſtratorem cæterosque optimates valere, ut ab omnibus conſiliis & arcanis ſit. Conſilio rerum Eccleſiaſticarum præfectus eſt, adjunctis Procuratore Generali Senatus Pariſienſis, & alio ejusdem Senatus Senatore Eccleſiaſtico, viris utique & probiſſimis & peritiſſimis & legum noſtrarum tenaciſſimis, quas proinde Romanis violare deinceps impune non licebit.

cebit. Excluſi ab hoc conſilio & ab omnibus aliis Jeſuitæ, de beneficiis Eccleſiaſticis pro arbitrio in poſterum non diſponent, nec ſic vilibus mancipiis ſuis ea ratione gratificari poterunt. Quanta rerum converſio! Tu ſi quid novi noveris, quod ad Conſtitutionem Pontificiam ſpectet, nuntiare ne dubites. Eam nullo e ſuggeſtu publico veſtris in regionibus promulgatam fuiſſe, jam ſcripſiſti; idque te affirmante pro certo teneo. Plurimum valuit hic teſtimonium tuum (ſuppreſſo tamen, ut par erat, nomine tuo) ad refellendos eos, qui contrarium palam & præfracte jactitabant, & in vulgus ſpargebant. Vale, amicorum optime & ſuaviſſime, meque, ut facis, amare perge.

Plurimam ſalutem verbis meis dicas velim germano tuo R. P. Hieronymo, cui addictiſſimus & devotiſſimus & ſum & ero. Sabbaterius meus ſtudiorum noſtrorum pertæſus, me derelicto, ad S. Dionyſium ſeceſſit, ut ſibi ſoli ſtuderet. Alios duos in eius locum mihi adiunxi: alter, cui nomen D. Franciſco le Texier, ex Sacræ Theologiæ Profeſſore, vir haud vulgaris meriti & eruditionis, ultimum

Actorum Sacrorum Tomum absolvendum & edendum sibi suscepit. Alter D. Petrus Vallée, junior est, sed & ipse magnæ spei. Vterque plurimam salutem tibi dicit. Iterum vale. IV. Non. Octobr. MDCCXV.

Τέλος.

VI.

DE

STRATONIS LAMPSACENI ATHEISMO

Dissertatio Epistolaris

Ad

Virum Clarissimum

JACOBUM ZIMMERMANNVM TIGVRINVM,

Auctore

JACOBO BRVCKERO.

Inter eos, de quorum impietate erga DEUM mentionem in Tuis fecisti, Clarissime Zimmermanne, Strato quoque est, a patria Lampsacenus, a studiorum genere & excellentia Physicus dictus. Huic non heri demum vel nudius tertius Atheismi

notam fuiſſe inuſtam, vel ſolo terſo CICERONIS teſtimonio conſtat, qui *Acad. Qq. l. II. vel l. IV.* potius *p. m. 48. T. III. Opp. edit.* Dion. Godofr. de Stratone: *is*, ait, *negat opera Deorum ſe uti ad fabricandum mundum, quæcunque ſint, docet omnia effecta natura - - Sic ille & Deum magno opere liberat, & me timore. Quis enim poteſt, cum exiſtimet a Deo ſe curari, non & dies & noctes divinum numen horrere? & ſi quid adverſi acciderit, quod cui non accidit? extimeſcere, ne id jure evenerit?* Quibus verbis vir in veterum philoſophorum ſententiis pernoſcendis feliciſſimus Stratoneo potiſſimum ariete providentiam divinam infringi, & ſine aſſertione operantis in naturalibus Deitatis totum tamen philoſophiæ ſyſtema conſiſtere poſſe infert. Ex recentioribus inter peſtilentiſſimum hominum genus Stratonem retulerunt non gregarii in exercitu literario milites, ſed præſtantiſſimi anteſignani & æternitati inſcripta nomina, LEIBNIZIVS, CVDWORTHVS, BAYLIVS, BVDDEVS, at quanti viri! & quam digni in his rebus arbitri! Aſt diverſo id quoque a ſingulis factum modo diverſoque reſpectu. Illuſtris enim LEIBNIZIVS Stratonem Spinozæ & Hobbeſio quoque jungit,

jungit, qui rebus neceſſitatem quandam cœcam adſcribunt, quod docuerit, res omnes exiſtere ſine intelligentia & eligendi libertate, adeoque ſine Deo, quo opus minime ſit, quia, neceſſitate rerum ita cogente, omnia ex propria exiſtunt natura & eſſentia, ut neceſſario duo & tria quinque faciunt, *reflex. ſur le livre de Mr. Hobbes, Theodic. pag. m. 428.* edit. Gall. recentiſſ. CVDWORTHO vero eo potiſſimum nomine Strato vapulat, quod materiæ animam licet brutam adſcribendo atheiſmum hylozoicum invexerit, *Syſtem. intellect. pag. 107.* cujus epitomen dedit Cel. CLERICVS *Bibl. choiſie T. II. art. I. §. 7. p. 29.* non diſſentiente ipſo hoc viro doctiſſimo. PETRVS vero BAYLIVS *Dict. biſt. crit. T. III. art. Spinoſa*, ideo inter atheos Stratonem refert, vel eos ſaltim, qui Spinozæ impietati præluſerunt, quod non alium Deum, quam ipſam naturam, ſive hoc univerſum agnoſcat, quem quoque ſequitur Vir ſummus, & nunquam nobis ſine honore nominandus JO. FRANC. BVDDEVS in diſſ. *de Spinoziſmo ante Spinozam §. 6. Analect. Hiſt. philoſ. p. 316. ſeqq & theſ. de Atheiſmo c. I. §. 16.* qui tamen poſt Baylium more ſuo egregie monet, differre ejus ſententiam a

Spinozæ, quod cum Epicuro materias in plurimas particulas diſcerpat, cum Spinoza contra unam hujus univerſi ſubſtantiam agnoſcat: præterea Strato initium mundo huic dederit, ex temerario fortunæ impetu illud cum Epicuro accerſens, cum Spinoza contra vi ſuæ hypotheſeos non poſſit non æternum perpetuumque mundum aſſerere. Has quis non graviſſimas accuſationes eſſe vel auctorum teſtiumque auctoritate magnum præ ſe pondus ferentes conceſſerit?

Verum non auctoritate ſolum graviſſimorum virorum, ſed rationibus quoque magnam ſpeciem præ ſe ferentibus Strato premitur, quas paucis delibabimus. Primum enim, quod ſupra monuimus, & ex adducto quoque Ciceronis loco ſatis patet, providentiam divinam ex rerum natura ſuſtulit. Deum vero tollere videtur, qui providentiam negat; vid. Viri magni JO. FRANC. BVDDEVS *theſ. de Atheiſmo cap. III. §. 1.* & JO. ALB. FABRICIVS *Syllog. ſer. de V. R. C. c. XVII. p. 409.* & quos hic fuſe laudat. Sed ſecundo quoque ipſam divinam mentem ex rerum natura proſcribit, qui *dat*, monente CICERONE l. c. *Deo immunitatem magni quidem muneris; negat ſe Deo-*

Deorum opera uti ad fabricandum mundum, quæcunque ſint omnia effecta eſſe natura; nec ut ille, qui aſperis & lævibus & hamatis uncinatisque corporibus concreta hæc eſſe dicat, interjecto inani; ſomnia hæc cenſet eſſe Democriti non docentis, ſed optantis; ipſe autem ſingulas mundi partes perſequens, quicquid aut ſit, aut fiat, naturalibus fieri aut factum eſſe ponderibus & motibus. Immo tertio, quod majus atque pejus, teſte eodem CICERONE *de nat. Deor. l. I. p m. 278. omnem vim divinam in natura ſitam eſſe cenſet, quæ cauſas gignendi, augendi, minuendive habeat, ſed careat omni ſenſu & figura.* Quibus verbis non aliam divinitatem admittere videtur, quam naturam rebus ipſis impreſſam, quam cum plaſticam, omniaque formantem faciat, non incommode hylozoiſmi auctor vel aſſertor cenſeri poteſt. Quibus ſuccinit AVGVSTINVS *de Civ. Dei l. VI. c. 10.* ubi eum *Deum facere ſine animo*, id eſt rebus corporeis vel materiæ ſaltem divinitatem adſcribere ſenſu & ratione carentem obſervat. Quibus quarto id adjungi quoque poſſe putamus, ſi res omnes per ſe ſolæ ex natura ſua ſe ipſam formante oriantur & fiant, & ex ſe ſuaque eſſentia exiſtant, quod Stratoni adſcribit Cicero,

inde

inde ſua ſponte conſequi, omnia per abſolutam quandam fieri neceſſitatem, quod non poteſt non peſſimis Atheiſmi radicibus annumerari. Quam neceſſitatem quoque per definitionem τοῦ ὄντος, quod ſit διαμονὴ τῶν ὄντων, *permanentia vel ſubſiſtentia entium inſinuaſſe* videtur apud PROCLVM *l. IV. in Timæum p. 242. 243.* Salva enim iſta hypotheſi non poſſunt non entia inde entitatem, ut barbare loquar, habere, quod perpetuo & neceſſario maneant & ſubſiſtant, cum aliam ſubſtantiam non admiſiſſe videatur, quam formas, accidentia, πάθη, qualitates, vel, ut recentiorum voce utar, modos, materiæ congregata invicem ex particulis & conflata, & ex ſe ſuaque natura combinata ſuum exiſtendi modum operantia & formantia. His omnibus PLVTARCHI tandem accedit quoque auctoritas, qui *adv. Colot. T. II. pag. m. 418.*, Stratonem refert *mundum animal eſſe negare, velleque naturam ſequi temerarios fortunæ impetus; initium enim rebus dare ſpontaneam quandam naturæ vim, & ſic deinceps ab eadem natura phyſicis motibus imponi finem.*

Capita hæc ſumma ſunt accuſationis contra Stratonem, quibus magna eum ſuſpicione Atheiſmi premi, quis non ultro fatea-

fateatur? Nondum tamen ita mihi comparatum cum iis eſſe videtur, ut nihil contra ea excipi & ad defendendam Stratonis cauſam afferri queat. Nam quod primo loco dictum eſt, providentiam Dei ex mundo eum ſuſtuliſſe, id recte intelligendum eſt. Non tollebat enim Strato omnem divinitatis providentiam, ſed in moralibus eam admittebat, quod non abſurde ex eo colligas, quod apud DIOG. LAERT. *l. V. ſ. 58. ſeq.* ejus libri *de juſtitia*, *de bono*, *de felicitate*, *de divina afflatione*, *de injuſto* enumerentur, quorum argumenta ſine providentia concipi non commode poſſunt; unde caute & non niſi relative intelligenda, quæ CICERO *de finibus l. V.* innuit, *perpauca de moribus eum dixiſſe.* Quod vero ad phyſica attinet, duplici modo tolli vel removeri potius poteſt providentia; vel ut omnia caſu fortuito concurſuque atomorum ſine providæ mentis directione orta dicantur, quæ ſententia Democrito & Epicuro placuit; vel ut mens quidem divina rebus omnibus, vel particulis potius, vim, capacitatem, naturam ſe ipſam formandi, quæ divinitas Stratonis in poſteriori Ciceronis loco eſt, dederit, eamque providentiſſime ad fines ſuos diſpoſuerit, poſtea eas vero ſuis legibus

legibus conformiter agere permittat, & ita de rebus amplius naturalibus providentia & influxu ſpeciali non diſpiciat, quæ ſententia Durando olim & Aureolo Cardinali placuit, quem priorem vide *l. II. Sent. diſt. 1. q. 5. diſt. 37. q. 1.* immo Pelagianos huic ſententiæ præluſiſſe poſt Hieronymum pluribus probat PAVL. SLEVOGT. *diſſert. acad. p. 361. ſeqq.* quibus ex recentioribus quoque hujus ſententiæ patronos addit Illuſtris LEIBNIZIVS Ludovicum Pererium & Bernierium, *Theodic. P. I. §. 27. pag. m. 89.* quibus nos merito adjicimus NIC. TAVRELLVM *de rerum ætern. pag. 2.* & V. C. JO. CLERICVM, *Pneumatol Sect. III. c. 6. §. 10. ſeqq. p. m. 123. ſeqq.* & *Logic. P. I. c. 10.* qui communem in eo Arminianorum ſententiam ſequitur: Conferendaque ſunt, quæ inter Viros ſummos Neutonum, Clarkium & Leibnizium diſputata ſunt, vid. *Recueil des diverſes pieçes de la philoſophie &c. T. I. p. 2. ſeqq.* Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ, quæ ea tantum fini attulimus, ut conſtaret, iſtam ſententiam arriſiſſe viris, quos inter atheos numeraverit nemo. Poſteriori vero tantum ſenſu Stratonem providentiam & concurſum ſive influxum Dei ſuſtuliſſe, allatus Ciceronis locus

locus ipſe ſuadere videtur admodum, quia non tantum in ejus hypotheſi particulæ a Democriti confuſo & fortuito ortu removentur, ſed Deus non obſcure quoque ſupponitur, quem non negaſſe Stratonem, ſed magno tantum opere (perpetui influxus, concurſus & directionis, contra quod in antecedentibus Vellejus diſputat) liberaſſe, eique operis immunitatem dediſſe Cicero affirmat. Et ex his facile, quid ad ſecundum quoque & tertium accuſationis caput reſponderi queat, colligitur; ſcilicet, permiſiſſe quidem naturæ ſuæ plaſticæ materiæ particulas Stratonem, ſine interventu mentis divinæ, ita tamen, ut a Deo iſtam divinitatem, iſtam agendi ſecundum pondera & motus proprios facultatem acceperint, ſemelque primitus motæ a prima cauſa ſe ipſas porro moverint, rationalique modo, licet ſine ſenſu & intelligentia, coaluerint, & ita aſpectabilis orbis facies enituerit. Hæc enim haud abſimili quoque modo BVRNETIO, quique eum ſecuti ſunt, theoriæ telluris conditoribus placuere, quos tamen nemo ideo inter atheos retulerit, etſi de eorum quoque opinione fatendum ſit, quod de Democriti Strato dixit, ſomnia hæc eſſe non docentis, ſed optan-

optantis. Naturæ vero plaſticæ ſi a ſuprema cauſa conditæ, materiæque inditæ ſtatuantur, num atheiſmum hylozoicum involvant, videat ipſe CVDWORTHVS, qui in reducendis iſtis naturis plaſticis tantopere ſibi placuit. Et ex his quoque non neceſſitatem quandam abſolutam, ſed hypotheticam, Spinozæ admodum contrariam oriri manifeſtum eſt; quia ſcilicet providenti ſupremæ menti hæc via optima viſa, ideo omnia ita diſpoſuit, naturamque hanc plaſticam, rationabiliter ſine ratione, ut ita dicam, agentem, particulis indidit, ut ita elegans, via ſimpliciſſima & maxime naturali, rerum omnium enaſceretur ordo. Quæ certe Illuſtri Leibnizio adeo non abſurda videri queunt, ut potius l. c. ipſe neceſſitatem hypotheticam magno niſu defendat, cujus ſcilicet difficultate ingenioſum harmoniæ præſtabilitæ ædificium premitur. Plutarchi vero teſtimonium tantam quidem, quantam videtur habere, vim non habet. Vti enim, ſi adductum ſyſtematis Stratoniani explicationem admittamus, recte Strato negavit, mundum eſſe animal, ſenſu ſcilicet Platonico, de quo loquitur c. l. Plutarchus; ita παχυλῶς ſcripſiſſe hic, ut ſæpius, cenſendus eſt, quando

do aſſerit, voluiſſe Stratonem, naturam ſequi temerarios fortunæ impetus. Ciceronis enim teſtimonio aliquoties jam laudato conſtat, Democriteo ſyſtemati, fortuito fortunæ impetui cuncta adſcribenti, ſuum oppoſuiſſe Stratonem, cunctaque ponderibus & motibus naturalibus facta eſſe aſſeruiſſe, quæ cum temerario fortunæ impetu conſiſtere non poſſunt. Vides, Vir Clariſſime, non minora ſuppetere ad excuſandum & defendendum Stratonem argumenta, quam ad eum accuſandum afferri poſſunt. In quam vero ad ferendam tandem inter utramque partem ſententiam diſcedere queamus, via nobis haud facile patet. Audit quidem Noſter *Peripateticorum ſummus* PLVTARCHO *l. c. optimus* SIMPLICIO *l. III.* Φυσ. ἀκρ. *c. 23.* immo tertius poſt Ariſtotelem & Theophraſtum in Peripato Doctor, teſte LAERTIO *l. V. ſ. 58.* ſed cum *multa in Phyſicis innovaverit*, monente CICER. *de fin. l. V. p. m. 143. Qq. acad. l. I. p. m. 48. & ab Ariſtotele in multis rebus diſſentiat*, teſte PLVT. l. c. ex Peripato ejusque doctoribus nulla ſententiæ hypotheſiosque hujus hauriri poteſt illuſtratio. Quod ſi libri ejus,

qui a LAERT. *l. c. ſ. 58. ſq.* & poſt eum a TH. STANLEIO *Hiſt. philoſ. T. I. P. V. p. 498.* & partem quoque a IO. IONSIO *de Script. Hiſt. Phil. l. II. c. 2. p. 121. ſeq.* & alibi enumerantur, imprimis quos *de Diis, de Spiritu, de cœlo &c.* conſcripſit, ſupereſſent, facile forte de ejus mente nobis conſtaret. Sed periere iſti omnes injuria temporis, nec Stratonis quisquam fœtus ſupereſt; librum enim περὶ χρωμάτων, qui inter Ariſtotelis opera comparet, Stratonis eſſe, quod HERM. CONRING. in *Ep. ad Rachelium*, & FR. PATRICIO *diſcuſſ. peripatet. p. 44.* viſum eſt, leviſſima tantum conjectura nititur, qua eadem probabilitate Theophraſto cum MERCVRIALI *Var. Lect. l. III. c. 13.* adſcribi poteſt, monente Viro Summo IO. ALB. FABRICIO *Bibl. Gr. l. III. c. 6. §. 20. p. 136.* Non alii itaque nobis fontes ſuppetunt, nec propiores Stratoni teſtes Cicerone & Plutarcho, qui tamen & ab ejus ætate ſatis ſunt remoti, & obſcuri atque ambigui in ſua relatione. Penſitatis itaque utriuſque partis argumentis, recte nobis feciſſe videtur Vir S. Rev. IAC. FRID. REIMMANNVS *in Hiſt. univ. Atheiſmi c. XXVII. §. 3. p. 186. ſeqq.*